

Commentatio I.

De literarum in lingua latina transpositione.

Inter ea artificia, quibus et olim grammatici plerique in vocabulorum stirpibus et cognationibus exquirendis et explicandis sunt usi et nunc quoque aliqui saepissime atque audacissime utuntur, id haud infimum obtinet locum, ut elementa vocum transposita et confusa statuunt. Etenim ubi vocabula duo vel plura unius cuiusdam linguae vel etiam diversarum linguarum significatione inter se consimilia ex elementis aut plane iisdem aut non nimis tamen diversis erant composita: ordinis et seriei elementorum discrepantia facile negligebatur, ut ea vocabula vel eadem esse vel ex eadem stirpe orta possent haberi; metathesis enim facta esse, h. e. elementa locum suum mutasse iudicabantur. Ita etymologi latini ad quaedam tum horribilia, tum ridicula etymologiae monstra devenerunt, quorum quaedam etiam nunc a nonnullis probari et proferri est, quod maxime admiremur; quemadmodum, ut exempla ponam, fuerunt, qui non solum *χιτών* et *tunica*, sed adeo *tunica* et *inducā* mutato elementorum ordine eadem esse vocabula serio iudicarent; fuerunt etiam, qui simili ratione latinum nomen *cancer* a graeco *κράκινος*, centum ab *ἑκατόν*, dominor a *δύναμαι*, contra ab *ἀντιχρόν*, colei ab *ὄλκοι* (!), manare a *νᾶμα*, patella a *λοπάς* (*λοπάδος*), seculum ab *ἡλικία* deducerent. Quae ratio hoc tempore ab iis, qui rem grammaticam naviter et scienter tractant, levitatis et temeritatis crimine recte condemnatur. Satis enim iam intellectum est non genus tantum et naturam elementorum, sed imprimis etiam ordinem eorum et collocationem in vocabulorum originibus et stirpibus investigandis esse respiciendam; nullo enim pacto fortunae atque casui singulorum elementorum in vocabulis collocationem esse attribuendam neque sine certis quibusdam causis et rationibus neque nullo constituto modo eam esse mutatam vel inversam. Quare etiam his temporibus a nonnullis hominibus doctis quaesitum est, quænam illae fuerint transponendorum elementorum causae vel rationes, quinam eius rei finis ac modus: quo in numero principem quendam locum *Comp. Leop. Schneider* et *Pöttius* obtinent, qui de his rebus sua uterque via et ratione ille in libro, cui inscripsit *Elementarlehre der lateinischen Sprache* (p. 511 — 515), hic in quaestionibus etymologicis (*Etymol. Forschungen*, vol. II, p. 112 — 124) diligenter et docte disputaverunt. Nec tamen iam perfecta videtur ea quaestio et ita absoluta, ut nihil requiratur. Ut enim latinae grammaticae ea omnis pars, quae est de consonis et vocalibus et earum affectionibus parum adhuc est explanata et enucleata, sic hic quoque locus transpositarum in vocalibus consonantium et vocalium egere etiam nunc iusto lumine videtur; quamobrem ad eum illustran-

dum, quantum ego valerem, eorum, quae viri illi clarissimi aliique exposuerunt, respectu diligenter habito, conferre constitui.

§. 1. Buttmanus in grammatica graeca earum maxime consonarum, quae liquidae vocantur, transpositionem in graecis vocabulis inveniri exposuit. Quibus adiciendum est inter liquidas literam r eam esse, quae saepissime locum suum cum alia quapiam commutet: id quod forsitan ex ipsa eius literae natura fuerit explicandum, quae est liquidarum liquidissima et ad vocales proxime accedit, quibus adeo in lingua sanscrita olim fuit adnumerata. Nam ubi in principio vocabulorum est posita, et spiritum habet non minus quam vocales, et non raro cum levi quadam vocali a graecis est pronunciata, quam proprie abesse debere reliquarum linguarum comparatio docet, et omnium consonarum ipsa facillime cum reliquis consonis mutis potest coire, in vocabulorum initiis quidem illas subsequens, in mediis vocibus aut anteposita illis aut postposita. Quibus omnibus rebus ea plane antecellit reliquum consonarum vulgus, quae pinguiore quodammodo videntur fuisse et propter ipsam eam pinguitudinem, ut hoc etiam addam, facilius et maturius etiam ab imperito infantium ore poterant effingi, quam subtilior ille literae ρ sonus. — Eam deinde proxime subsequitur lambda, quod paulo minus saepe, quam ρ , haud tamen raro in alienam transfertur sedem. Ultimum denique inter liquidas locum et in hoc et in aliis rebus reliquis duabus, μ et ν , assignabimus; eae enim longe sunt sedis suae tenaciores et plerumque, quanquam non semper, quem habent locum, eum immotae obtinent.

Est autem his liquidis omnibus, si modo alienum in locum migraverunt, hoc commune, quod cum vocalibus confinibus saepissime sedem commutaverunt (ac ρ quidem maxime cum α ; deinde etiam cum σ et ϵ , rarius cum τ), rarius cum muta aliqua consona vel adeo cum duabus literis, quarum altera sit muta, altera vocalis. Nec frequentiora, imo fere singularia et dubitationi etiamnunc obnoxia ea sunt transpositionis exempla, in quibus consonae, quae non sunt semivocales, locum suum cum aliis sive vocalibus sive mutis permutasse dicuntur vel olim dicebantur. Quo tamen ex numero duplices illae consonae (ψ , ξ , ζ) sunt eximendae, quorum elementa non ita raro etiam inverso ordine ($\sigma\pi$, $\sigma\kappa$, $\sigma\delta$) sunt pronunciata. Haec quidem ita fere sunt in Graeca lingua; cui quum et verborum radicibus et flexione ac declinatione latina sit simillima et cognatione quadam artissima coniuncta: in ea quoque similia quaedam de literarum transpositione fore animadvertenda recte licet suspicari. Ne tamen quae in Graecorum vocibus facta esse videmus, eadem omnia Romanis licuisse iudicemus, propria Romanae linguae natura considerata prohibemus.

§. 2. Etenim cum Romani et quicumque in Italia eadem lingua sunt usi, ad consonas pronunciandas longe maiorem, quam Graeci, vim adhibuerint et fortius eas labris et dentibus et lingua, et quaecumque vocis sunt instrumenta, expresserint: dubitari non potest, quin etiam liquidae illae consonae minus volubiles et liquidae extiterint, quam in graeca lingua, itaque et earum et reliquarum consonarum natura transpositioni magis, ut ita dicam, obstiterit. Quare in ponenda elementorum transpositione, ubi latina aguntur vocabula, minus aliquanto erimus faciles, quam iis licet esse, qui graecam grammaticam tractant.

Ita quum literae m et n in latina quidem lingua liquida et semivocali natura fere prorsus careant, ut recte iam Vossius in Aristarcho (I, 19. p. 61. F.) iudicavit (cf. Madvig

Bemerkungen zur latein. Sprachlehre p. 21.): hinc eam sententiam facile suscipiemus, ut vix unquam in latina lingua earum literarum transpositionem factam esse opinemur. Aliquanto aptior ad sedis mutationes admittendas l videtur esse, quanquam ne ea quidem in latinis aequè liquet, atque in graecis. Namque ad reliquarum lingualium (d, t, s) proprietatem tantopere accedit, ut in verborum initiis non magis possit cum ulla eorum coniungi, quam duae mutae linguales possunt una pronunciari¹⁾, utque in mediis vocabulis non ferat ante se lingualem t nisi interposita vocali, qua Graecis non fuit opus (cf. Catullus, Lentulus et *Κάτλος, Λέντλος*). Ipsi denique literae r transpositioni illam latinae linguae gravitatem et constantiam, quae cum omnis vitae severitate et antiquitatis observatione optime consentiebat, adversatam esse censebimus, ut non simus miraturi, si etiam eam literam minus pronam ad migrandum in alienum locum patescet fuisse, quam fuerit in graeca lingua. Quo accedit, quod etiam aliis argumentis latina r a semivocali graeci \bar{r} natura recessisse intelligitur; nam neque cum spiritu a Romanis illa proferebatur et saepe ex sibilis orta est, unde in graeca lingua non fere solet \bar{r} existere, nisi in dorica dialecto, ac ne in ea quidem tam frequenter, quam in latinis vocibus.

§. 3. Sed cum transpositio semper sit complurium literarum aut certe binarum, quaerendum est etiam de altera, quae cum liquida sedem commutat. In Graecis quidem, ut diximus, ea saepissime solet esse vocalis, id quod naturae maxime est consentaneum, cum praeter eas literas, quae vocantur liquidae, omnium haud dubie liquidissimae et maxime mobiles sint vocales. Eadem ratio non videtur cum a cuiusvis, tum a latinae linguae ingenio absona esse. — At vero id sane dubitandum est, num mutarum aliqua in latinis sive cum vocali, sive adeo cum liquida locum facile mutaverit, ac multo etiam magis dubium esse oportet, num binarum mutarum transpositio unquam sit facta; non enim ea est mutarum natura, ut in iis pronunciandis ambiguum esse possit, utra prior audiatur, utra posterior, quod in vocalibus et liquidis iuxta proferendis facilius potest evenire. Denique liquidarum binarum transpositio fieri vix potuit, cum l et r, quas solas esse in Romana lingua liquidas supra diximus, non fuerint inter se coniunctae, nisi vocali interiecta; at ternarum literarum inter se transpositio longe etiam difficilior debet videri, quam binarum.

§. 4. Deinde si causas quaeris, quibus factum sit, ut literae aliae in aliarum locum migrarent: Buttmannus in graecis vocibus tum euphoniae causa id factum esse ait, tum ad augendam pronunciandi facilitatem, tum propter metrum, tum etiam propter dicendi quandam negligentiam. Quarum rerum ea, quam tertio loco posuit, h. e. metrum, in conformandis graecis vocabulis suam profecto habuit vim, in latinis non potuit magni esse momenti. Etenim sero demum, quum vocabulorum formae satis essent usu constitutae ac confirmatae nec iam magnas admitterent vicissitudines, tum poetae inter Romanos extiterunt, qui linguam metris — ac primum quidem satis incultis et rudibus — adstringerent. Quare illi quidem quanquam multa novarunt vocabula, multa e Graecis sua in carmina transtulerunt, in iis tamen, quae diuturno usu et antiquitate quodammodo erant sancita, non potuerunt multa im-

1) Hac de causa latus omissa in principio linguali t pro tlatus (cf. *τλάω*) dictum est (cf. Pottii Etym. Forsch. II. p. 107.) Nam cum Thierschio (Griech. Gramm. §. 232, 12. p. 382) a radice quadam *ΛΛΛ*, unde *ἀλάστος*, non possum illud derivare; ab ea enim aut lasus esset aut lassus, uti a ludo, divido lusum, divisum, a cedo, mitto cessum, missum.

mutare. Neque vero negligentia pronunciandi Romanis admodum est imputanda, quos, ut initio posui, in efferendis vocabulis suam unicuique eorum elementō vim tribuisse multis constat argumentis; qua in re praestiterunt Graecis, qui pristinorum minus in sermone tenaces et in pronunciando interdum faciliores, imo leviores, quam diligentiores fuerunt. Sed in peregrinis tamen vocabulis suum in sermonem recipiendis Romani, praecipue veteriores, saepius parum accurate videntur egisse, quod miris illis monstris, quae a grammaticis memoriae sunt prodita, Catamitus, Melo, Alumento (pro Ganymedes, Nilus, Laomedon), aliis demonstratur. Quare in talibus facile etiam a Romanis literas esse transpositas credemus; quanquam id forsitan non semper fuerit negligentiae, sed non raro propterea videtur evenisse, quod peregrini aut non tam distincte voces et omnia vocum elementa exprimebant, quam Romani et loqui et audire consueverant, aut sonis quibusdam interdum utebantur, qui romano ore non probe possent eodem modo edi.

Tum pronunciandi elegantia et facilitas, quas a Buttmano inter causas transpositionis referri dixi, potuerunt sane etiam in latina lingua ad literas, quae iniucunde aut turpiter essent coniunctae, transponendas valere. Sed vix poterit in singulis vocabulis diiudicari, utra earum causarum hic vel illic valuisse sit statuenda. Namque quam ambiguae et fere infirmae atque instabiles euphoniae leges in veterum linguis fuerint, Graecis exemplis luculentissime Lobeckius (in prima Paralipomenorum dissertatione) declaravit. Quare in perquirendis transpositionis rationibus et exemplis causas, propter quas literae sint transpositae, nescire nos potius fatebimur, quam nugas et infirmas opiniones proferemus.

§. 5. Denique tertium etiam quiddam est, quod in iis vocabulis, quae elementorum metathesin passa sunt, et possit et debeat quaeri. Ubi enim binae sunt cuiusdam vocabuli formae, non continuo in luce est situm, utra sit ex altera orta, utra propius ab origine absit. Cum tamen id ipsum nosse iuvet, erit de ea re quaestio instituenda et, ubi id fieri poterit, iudicium interponendum. In universum autem hoc est animo tenendum, ubi binarum formarum inter se confinium altera sit graeca, altera romana (nam graeca etiam sunt adhibenda), plerumque non sine aliquo iure romanae posse principatum vetustatis vindicari. Cum enim in transpositionis facilitate et frequentia graeca lingua latinam longe, ut diximus, superat, tum omnino nunc quidem, postquam linguarum comparandarum studium est accurate cultum, a doctis intellectum est romanam linguam in plerisque magis, quam graecam, antiquissimam formam speciemque servasse nec tot, tantasque vocabulorum et elementorum mutationes esse passam. Quare ea lex etiam in transpositione iudicanda recte adhibebitur, neque id tamen interdum sine aliqua dubitatione; quum enim multa vel plurima Romana Graecis sint vetustiora, de universis non temere idem licet asseverare; sed potest interdum etiam Graecorum sincerior esse et minus mutata natura.

Deinde etiam hoc ipsi linguarum naturae maxime videtur convenire; ubi consona et vocalis locum inter se mutaverunt, ut ea forma habeatur antiquior, in qua vocalis medium teneat locum inter duas consonas, quae solent esse radicum, ea iudicetur declinata, in qua duae consonae iuxta sunt positae, vocalis aut sequitur eas, aut antecedit. Nam sane verum videtur, quod, ni fallor, et alii et Ricardus Lepsius²⁾ v. cl. statuerunt, olim in plerisque

(2) In dissertatione praeclarissima: Ueber die Anordnung und Verwandtschaft des Semitischen, Indischen, Alt-Persischen, Alt-Aegyptischen und Aethiop. Alphabets. (§. 13. sqq.)

vocibus suam quaque cum consona auditam fuisse vocalem; unde efficitur, ut eae voces, in quibus post consonam aliquam non vocalis, sed altera subsequatur consona, non sint originariae, sed immutatione quadam ortae. Interdum tamen etiam de hoc antiquitatis argumento dubitari poterit cum propter alias causas, tum maxime quia ipsa litera r in multis olim (ut sanscrita lingua perspicitur) vocalis fuit itaque quamlibet consonam nulla praeterea interposita vocali excipere optime potuit.

Ad haec, quae exposui, fortasse in ipsis transpositionis exemplis excutiendis alia accedent argumenta, quibus, quid fuerit prius, quid posterius, dignoscatur et interdum fortasse verius et luculentius, quam illis generalibus, quae sunt dicta, statuatur atque confirmabitur. Quam autem sententiam Buttmannus enunciat, quorundam vocabulorum formam iam ab initio fuisse ambiguum, quum elementorum ordo non prorsus constiterit, ea ut probanda sit, vereor. Etenim primis temporibus, quum lingua nasceretur, sonos singulos, qui sunt eiusdem generis, non accurate fuisse distinctos, sed fluxisse, ut ita dicam, et fluctuasce, id quidem non est incredibile, imo maxime probabile; sed quo quaeque literae ordine in singulis vocibus ad certam aliquam sententiam efficiendam pronunciandae essent, id certe debebat constare; quid enim aliud fuisset stabile et constans, in quo significatus, tenues illis temporibus et angusti, persisterent? — At ubi non perspicitur, utra sit ex duabus formis originaria, utra non sit, non censebimus utramque aequae esse vetustam et originariam, sed mancam in ea re esse et debilem intelligentiam nostram.

§. 6. His ita propositis, iam ad percensenda ea vocabula accedimus, in quibus aliqua elementorum transpositio facta aut videtur aut dicitur esse. Quod ut ordine quodam fiat, a literae r transpositione initium disputationis existat.

Literam r cum vicina vocali locum suum mutasse patet in verborum cerno, sterno, sperno, tero perfectis crevi, stravi, sprevi, trivi et participiis cretus, stratus, spretus, tritus et quae eiusdemmodi praeterea ab illis descenderunt. E quibus bina illa stravi, stratus et trivi tritus ut aliam haberent vocalem, quam sterno, tero, proprietate consonae r videtur factum esse. Ante literam r enim non solum i solita est in latina lingua mutari in e, quod dudum est a grammaticis animadversum (velut in cerno est pro *κρίνω*), sed etiam vocalis a interdum videtur eodem modo proprietate literae r affecta et inclinata esse, ut e fieret, quae vocalis praeter obscuriores sonos o et u facillime cum sequente r coniunctim pronunciabatur; sicuti est in voci cerebrum, sternuo, quera, terra al., quae comparantur graecis *κέφα, πύρροναι, τερρός*. Adiectivum certus an ad eandem radicem verbi cerno pertineat, dubito, Pottius tamen (Etym. Forsch. vol. II. p. 114.) negavit; nam potius cum credo cognatum ait et sic quoque transpositione literarum er ortum esse. Quae in re vellem illam deperditam Placidi glossam: caesditum creditum intactam reliquisset; nam r evanuisse in caesditum, et propter sequentem d in s transisse (quod ante tenuem t (τ) et aspiratam σ interdum in linguis antiquis, ante mediam d (δ) nunquam accidit) et hanc ipsam s apud veteres Romanos scriptam (cum praeterea fere nunquam ea occurrat ante literam d), postea omissam fuisse, — eae quidem eius vocis tantae sunt mutationes, ut fidem vix possint habere.

Deinde haud dubie in vocibus tertius, terni (ter) facta est transpositio, cum olim r locum tenuerit ante e vel potius i, quae eadem causa in leviolem e abiit, qua in tero, terno supra vidimus. Ita enim et antiquus ordo elementorum et antiqua vocalis est in tris,

trini, (tripulus, triginta), *τρῆϊς, τρίντος* (cuius loco Aeoles habuerunt similiter, quam Romani, *τέττος*. v. Ahrens de dial. aeol. p. 79.), german. drei, dritter.

Pro in quibusdam vocibus compositis factum est por, quod in extrema linguae latinae aetate etiam pro simplici pro a vulgo usurpatum esse Francogallico pour docemur. Composita, quae dico, sunt *portendo*, cuius et significatio ita erat longo tempore inflexa et origo oblivione obruta, ut Romani deinde etiam *protendere* fingerent, et porricio, qua in voce altera r aut non affuit olim, ut esset poricio, compositum ex praepositione et verbo icio, aut, quod minus est credibile, assimilatione, quam vocant, orta est ex i consona, si in altera vocis parte verbum iacio inest³). Etiam porro transpositis primis syllabae elementis a pro descendisse cum propter significatum, tum propter Graecorum *πρόσω, πρόσω* recte iudicatur. Eodem Porrimae nomen referendum est, quod a pro esse derivatum et altera forma Prosa (v. Gell. N. A. XVI, 16) et nomen sororis Postvertae sunt indicio (v. Ovid. Fast. I, v. 633.). De aliis vocibus dubitari potest. Nam polluo, polliceor, porrigo, (fortasse etiam pollingo, polluceo, polleo) olim quidem videbantur partem sui priorem ex praepositione pro ortam habere, at nunc verius videtur, inesse in illis verbis priscam quandam praepositionem pot, quae cum graeca praepos. *πρῶτι, πρῶς, ποτι* congruat. Qua in re hoc tamen mirum est, quod r non in graecis tantum, sed in latinis etiam prorsus exciderit, nisi forte primam literam r etiam in latina forma transpositam, deinde lingualem (t) in compositis eiectam, (ut porluo esset pro portluo) et r, ubi opus esset, literae subsequenti assimilata iudicamus.

Tarsomenum pro Trasumeno multos auctores vindicasse, etiamsi sit in eo transmutatio, Quintilianus (Instit. orat. I, 5, 13.) tradit, in eo tamen errat, quod Tarsomenum ex altera et vulgari forma per transmutationem extitisse ait. Nam Tarsomenum antiquissimo tempore fuisse, unde vulgare illud prodierit, ex eorum nominum formis colligo, quae haud dubie ex eadem radice creverunt: *Τυρσηνός, τυρσηνός*, Turscus (quod olim fuit pro Tuscus), Tarraco (in quo etiam vocalis est eadem, quae in lacus nomine), Tarquinii (v. Lepsius über die tyrrhenischen Pelasger in Etrurien. p. 14.). Uti autem in voce Trasumenus, ita etiam in terrae illius nomine Etruria et adiectivo Etruscus eadem facta est transmutatio.

Ferveo et fretum num ex eodem fonte fluxerint, valde etiamnunc dubito; eiecta enim v vocalis e in voce fretum produci deberet, quae nunc corripitur, qua de re nec Pottius (E. F. II. p. 278) nec Weissenbornius (in grammat. lat. p. 21) dixerunt.

Precula pro pergula non dicta est, nisi a Tinca Placentino, quem propter hunc barbarismum Quintilianus (I, 5, 12) castigat.

Tardus Pottius ex trahendi verbo fictum esse censet (E. F. II, p. 114) quasi trahidus; quod si verum sit, transpositio in eo vocabulo facta fuerit. Sed verum esse vereor affirmare.

Denique in adiectivis postremus, supremus, extremus vocalem e ante r non esse neglectam, sed illi potius postpositam quantitas syllabae penultima docet, quae non magis produceretur, quam in aegerime, al., nisi vocalis esset ex e et i contracta.

3) Cf. Müller Etrusk. II. p. 185. Aliter Pottius (E. F. I. p. 234), qui ex pro et secare (secere) compositum suspicatur; de quo tamen idem dubitat II. p. 51.

§. 7. Jam de iis vocabulis est videndum, quae cum sint latinae cum graeca lingua communia, diverso in utraque consonarum ordine scribuntur.

Hic primum haec sunt dicenda, quae sunt maxime in luce posita: caro, cerno, cor, farcio; bardus, cornus, porrum, quae graecis κρέας, κρῖνω, καρδία, φράσσω, βράδύς, κράνος, πράσον respondent. Quorum omnium hoc est commune, quod in formis latinis vocalis literae r anteposita est, in graecis illa eam subsequitur, \bar{r} cum muta aliqua coniuncta principem vocabulorum locum obtinet, ut opinari liceat Latinis pronunciationem binarum consonantium nulla praefixa vocali non commodam fuisse ideoque eos mutasse. Sed tamen diversa est illarum vocum ratio. Nam quin in vocibus caro et cerno r olim fuerit ante vocalem, ut in κρέας et κρῖνω, propter sanscritica krawja (goth. hráiv) et kri (Pott E. F. I p. 85 et 226) non potest in dubio esse. In voce cordis, cui accuratius καρδία, minus accurate καρδία respondet et gothicum haírtô etiam consimile est, ipsa vocali o, \bar{a} in eam inducor sententiam, ut ex antiquissima forma hrid, quae in lingua sanscrita superest, ea vocalis mutatione, quam guna vocant, primum καρδ et cord et haírt orta, deinde a graecis (fortasse metri cansa) καρδ transformatum putem. — Farcio priscam elementorum collocationem servaverit, an φράσσω (quod est ex φραγίω), non diiudico, sed illud veri videtur similis; Graeci tamen ipsi tempore, ut videtur, posteriore πεφραγμένος, ἐφράξαντο, φαρτίον habuerunt (v. Etymol. Magn. p. 667, 22). Neque minus βάρδιος dictum est pro vulgari βράδιος et illud quidem iam ab Homero, cuius e carminibus fortasse bardus in sermonem latinum est translatum, quod si ab initio fuisset latinum, et ipsum, ut arbitror, usitatius fuisset, quam nunc videmus, et alia vocabula cum eo cognata in latina lingua extarent, quae nunc plane sunt nulla; nam ne substantivum quidem barditas vel simile aliquid est a veteribus fictum, at tardus et tarditas, a qua bardos appellatos Festus (p. 28. Lind.) dicit, non possunt serio adhiberi. — Tum etiam cornus et porrum possunt ex graeca lingua in latinam migrasse, sicut multarum plantarum et ipsa genera ex terris orientalibus in Italiam et nomina quoque ex peregrinis linguis in latinam transisse constat. Utrae tamen formae, graecaene illae an romanae, minus ab origine distent, non patet; sigma quidem in graeco πράσον antiquius esse, quam r in porrum, certum est, cum ex porsum sane quidem porrum, ex πράρον (si fuisset) non potuerit fieri πράσον.

§. 8. Deinde in nonnullis vocibus non transpositiones tantum elementorum, sed simul etiam aliae eorum mutationes factae sunt. Nam vv. mors et βροτός inter se esse cognata et latinum illud magis originarium, quam graecum, in quo litera $\bar{\beta}$ ex $\bar{\mu}$ orta est propter consonam subiectam, dudum a grammaticis est perspectum (v. Buttmanni Lexil. I. p. 136. II. p. 250). — Gratus autem et gratia ab eadem stirpe esse formata, atque χαρτός, χάρις, veteres grammatici et etymologi suspicati quidem sunt, sed non satis potuerunt confirmare, cum non explicarent, quae in his ratio esset mediae g et aspiratae \bar{z} ; at nunc sanscritici hri comparatione (v. Pott. E. F. II. p. 550) id certe patescit, fieri potuisse, ut, cum ab initio in ea radice primum locum aspiratio teneret, in latina lingua aspiratio interiret, quum h non posset ante ullam alteram consonam pronunciari, et media g existeret, in graeca tamen lingua \bar{z} retineretur. Quod autem vocalis latina producitur, cum graeca brevis sit: is est latinorum mos, ut in participiis et iis adiectivis, quae similiter quam illa desinunt, vocalis radi-

cis, ubi nulla eam subsequitur consona, ante illam t, quae est in suffixo, producat, (natus genus, latus tolero, tritus tero, al). — Tum in v. gravis r transpositam, radicem guar esse, graeco βαρύς, sanscr. gurus, vetere germanico kauris comparatis viri in his rebus versatissimi et sagacissimi enuclearunt (v. Pott. E. F. I. p. 86. II. p. 201. 277. Ahrens in: Zeitschrift für die Alterthumswissensch. 1844. p. 59. cf. etiam Graffii Althochdeutscher Sprachsch. I. p. x.) Sed hordeum et κρή, κρηθή quodam cognatione cohaerere nondum plane mihi potuit persuaderi, cum ipsa elementorum natura nimium differant. Vide tamen Pott. E. F. I. p. 143. — Scirpus ad graecum γρίφος pertinere idem Pottius (I. p. 140) negat. At sane mira esset horum vocabulorum conditio, nisi essent cognata. Nam etiamsi scirpus non inveniatur de reti piscario dictum, ut graecum γρίφος, neque hoc graecum de illo plantarum genere, quod latino scirpus indicatur: scirpiculus tamen ad illam graeci vocabuli significationem plane accedit, cum etiam scirpiculus dicatur piscatoris instrumentum reti ad usum certe simillimum (Fischreusen⁴); ac quae praeterea graecae vocis fuit significatio (ἀνγκυα), eandem apud veteres Romanos voci scirpus fuisse, Gellius (N. A. XII. 6.) disertis dicit verbis. Deinde vero si elementa utriusque vocis spectantur, literam s et in graeca lingua et in latina aequae, atque in aliis linguis, interdum vocabulorum principiis additam esse negari non potest, ut eam in latina illa voce adesse, a graeca abesse nemo debeat mirari; tenuis c autem pro media γ iam in latina voce propter antepositam s usurpari debuit, cum Latini mediam nullam in eadem syllaba post s poterint efferre; denique p tenuis latinae formae non soli est propria, sed graece etiam γρίπος dicebatur. Quare scirpus idem esse vocabulum, quod γρίφος, transmutatis duabus literis (m) recte nobis videbimur iudicare, et illud fortasse ex graeco sermone in latinum traductum esse opinabimur, graecam certe formam antiquiorem esse et ex media illa γ et ex φ et ex addita latinae voci litera s colligemus.

Terreo et τρέω eadem esse origine Pottius (I. p. 279) probavit, adhibita radice sanscritica tras, ut iam graecum verbum in elementorum collocatione vetustatem servasse, in litera s negligenda, quae tamen in nomine τρέστις etiamnunc conspicitur et, ut in aoristo ε esset, non η (ἔτρεσα, non ἔτρησα,) effecisse videtur; a Romanis antecedenti r est aequata, a prisca vocis conformatione abisse statuamus.

Torqueo num componendum sit cum graeco τρέπω propter quod et π dubitarem, nisi item latina q graecae π in vocce equus et ἵππος, linquo et λείπω, sequor et ἔπιμαι, quinque et πέμπε, quatuor et πένυρες responderet. Quod si ex germanico drâhan (drehen) coniecturam facere licet, in hoc etiam vocabulo graeca lingua literarum ordinem originarium magis servavit, latina ipsam literarum naturam (π posita pro q) immutavit.

Sequitur ut de Proserpina et persona quaeratur, quae graecis Περσεφόνη et πρόσωπον comparantur. Quorum amborum prope eadem ratio videtur esse. Nam et Proserpinae nomen ex verbo serpo et praepos. pro derivari non posse, nisi inepte, dudum patet (v. Schneideri Elementarlehre p. 519), et personam haud sane feliciter est, quod quidam a personandi verbo denominatam putaverunt. Sed et rem eam et rei nomen pervertusto aliquo tempore a Graecis in Italiam transisse ac nomen ab imperitis illis Italis turpi-

4) Conferenda sunt nostra Reusen et Rohr, quae ipsa quoque inter se sunt cognata, ut scirpus et scirpiculus.

ter ac non secus corruptum esse probabile est, quam deae *Περσεφόνης* nomen, quod ad similitudinem latinae vocis deformatum.

Unum superest nomen, quod a grammaticis antiquis ipsis, ubi de metathesi dicunt, solum pro exemplo poni solet (v. Charis. p. 249. Diomed. p. 437. P. cet.), h. e. *Thymbre* in versu antiquo: Nam tibi, *Thymbre*, caput *Evandrius* abstulit ensis. At vero *Thymbre* non translata litera *r* pro *Thymber* dictum, sed graece ita positum esse a nom. *Θύμβρος*, ut etiam *Evandrus* dicebatur, non tantum *Evander*, iam *Schneiderus* (*Elementarl.* p. 514) recte iudicavit.

§. 9. Quaedam sunt vocabula, quorum in ipsis primis literis metathesis videtur facta esse. Ac primum quidem sine ulla dubitatione v. orbis huc est referendum, quod et elementis et significatione simillimum est graecis vocibus *θύμβρος*, *θύμβρω*, *θύμβρος* (v. Pott. E. F. II. p. 118.), quarum illae priores \bar{u} ante \bar{s} celeberrimo Graecorum usu habent interpositum. Quod quin ita sit, eo minus potest dubitari, quod etiam in graecis, ut notissimum est, vocabulis *ἔρω* et *ἔξω*, *ἔρξαι* et *ἔξαι* et fortasse etiam aliis idem transmutationis genus est conspicuum (v. Buttm. *Lexil.* II. p. 171. 265). Quod si quaeris, utra lingua eum literarum ordinem, qui ab initio fuit, servaverit: latina ea videtur esse, si gothicum *hvaírban*, quod aequae, atque orbis, vocalem habet consonae *r* praepositam, recte a *Pottio* comparatur. Attamen ea comparatio non est admodum tuta; cum enim gothica litera *h* v. latinae *qu* (vel etiam *c*, omissa *u*) respondere soleat, forsitan *curvus*, quocum orbis cognatum vix habebitur, verius cum illo gothico verbo componetur.

Deinde *sorbeo* idem est, quod *σοφέω*, (cf. Pott. E. F. II. p. 196) inverso tamen literarum *r* et *o* ordine et abiecta in graeco vocabulo litera *s*, quae a Graecis saepissime in principiis vocabulorum emolliiri et in spiritum asperum mutari solebat, denique media *q* in latino vocabulo pro aspirata posita, quod in mediis vocabulis fere semper fiebat. Si verum est, quod *Guilelmus Wackernagel* (in *Jahni: Archiv für Philol. u. Paedag.* I. p. 46) posuit, gothicum *svaírban* (tergere) ad eandem radicem esse referendum, prisca elementorum collocatio ea est, quae in latino *sorbere* obtinet, Graeci transmutaverunt. Sed *svaírban* non satis ad significationem verbi graeci ac latini videtur appropinquare.

A certis transitus fiat ad ea, quae minus sunt certa minusve in luce posita. — *Serpo* et *ἔρω* origine non esse diversa non potest negari: nam ex litera *s* principali in graeco nihil reliquum est nisi spiritus, qui ita ex illa saepissime est natus. Sed iam et significatione et elementorum quoque aliqua congruentia verbum *repo* ad illa accedit, quod si ex eodem fonte fluxit, atque illa, primum literam *s* a principio vocis abiectam putabimus, id quod facillime fieri potuit, si olim post *s* non vocalis, sed consona *r*, tum demum vocalis sequebatur, quod ita olim fuisse propter eam radicem sanscriticam (*srip*) suspicari possumus, ad quam *Pottius* illa *serpo* et *ἔρω* refert. Deinde in illis iisdem (*serpo* et *ἔρω*) transpositio facta esse censebitur, quam, nisi *s* negligenter, pronunciandi ratio flagitabat, quum *r* literam *s* non posset in eadem syllaba excipere. Sed magna est difficultas, quod vocalem *e* vocis *repo* alia esse mensura, quam in *serpo* et *ἔρω*, videmus. Nec tamen propterea prorsus negaverim *rependi* verbum ex eadem stirpe potuisse oriri, atque *serpo*; maiora enim sunt, quibus illa congruant, quam ut hanc differentiam nimis magni faciam, cuius causa fortasse aliquando magis, quam nunc, patebit. Conferri forsitan possit

verbum rigeo, quod quanquam et unius literae defectu et vocalis mensura a frigendo differt, tamen cum eo congenitum esse pro certo habeo.⁵⁾

Denique rapio et ἄρπω (unde ἄρπάζω) et sono et sententia ita sunt inter se coniuncta, ut divelli vix possint. Ac possit aliquis ad congruentiam eorum confirmandam etiam hoc adhibere, quod in v. ἄρπω spiritus non videatur ex pristina aliqua s ortus, sed alia quampiam causa, ut saepe, a Graecis appositus esse, quoniam Aeoles, qui vetustatem linguae maxime servaverunt, in quibusdam vocibus, quae ex eadem radice procreata habeantur, vocalem $\bar{\alpha}$ in principio nudam, h. e. sine spiritu, posuerint, quod facere non solent, ubi pro spiritu olim $\bar{\sigma}$ fuit (v. Ahrens de dial. aeol. p. 28 sq. cf. de dial. dor. p. 504). At vereor, ne ita res adeo difficilior fiat. Etenim quam de causa ex arp factum sit rap vel contra, non facile intelligitur; nam principales vocabulorum literas non ita facile transmutari potuisse existimo, ut Mehlhornius arbitrari videtur, qui adeo αἶρα cum ῥαίω, ὄθρεϊος cum νοθῆϊος cognata esse credit (v. optimum eius librum: Griechische Grammatik I, p. 78.) Sed si primum in radice ἄρπ vel rap locum olim s tenuerit, causa ac ratio illius transmutationis perspicitur, eadem videlicet, qua ex s rafeo tum ῥοφέω, tum sorbeo, ex srepo tum serpo (ἔρπω), tum rero, ex radice aliqua vreb et ῥεμβ et orb (pro verb) facta esse apparet. Quod enim srapo vel srapio nec latino nec graeco ori erat commodum ad pronunciandum, inde et sarp, ἄρπ et rap poterat existere. Neque huic sententiae illud, quod de aeolicis vocibus supra dixi, admodum refragatur; non enim de earum vocum vel origine vel conditione ita constat, ut inde coniectura satis certa fieri possit. Ac si Pottius (E. F. I. p. 258; nam quae vol. II, p. 153 de eadem re suspicatus est, minus etiam probabilia videntur), quum literam s eius radice propriam fuisse neget, sed rap radicem ponat, verba ἐρέπτεσθαι et rumpo comparat, in quibus ipsis nulla olim fuit s, (quae tamen significatione aliquantum a rapiendo distant): ego contra ad meam sententiam muniendam verbum sarpō (unde sarpā, ἄρπη, et sarmentum) afferō, in quo illa s, transmutatis iis literis, quae sequuntur, servata conspicitur, ut verborum sarpō et rapio, quod ad formam attinet, eadem fere ratio sit, quae superiorum illorum serpo et rero. — Quod tamen alii non s literam, sed gutturalem aliquam olim principem in ea radice sedem tenuisse (ut fuerit krap) et deinde abiectam esse statuunt, (inter quos Hoeferus in l. l. p. 356 plura de hac voce et de eius, ut ita dicam, affinis audacter coniecit): magis id ex comparatione aliarum linguarum, quam ex natura ipsarum graecae et latinae accuratissime perpensa fecerunt. Nam neque graecum nec latinum ullum tale est a gutturali exoriens vocabulum, quod verbo ἄρπάζειν, rapio cognatum possit dici, cum carpo significatione, κλέπτω elementis nimium illis sit dissimile, neque vero in talibus gutturalis solet abiici (cf. cras, crapula, crepusculum, cremo, crudus, crus, al.). Quare illam quidem sententiam mittimus et in radice srap statuenda persistimus.

§. 10. Tum de paucis vocabulis quaerendum est, in quarum vel graecis vel latinis formis litera r cum v consona, quod in graecis est ῥψιλόν, sedem dicatur commutasse: quae sane mira est transmutatio. Ea vocabula haec maxime sunt: nervus et parvus, graecis νεῦρον et παῦρος collata, quibus alia quaedam a quibusdam adiciuntur.

5) vid. etiam Hoeferus in libro: Zur Lautlehre p. 215, qui tamen de vocalis quantitate ne mentionem quidem iniecit.

Nervus significatione graecum *νεῦρον* sic attingit, ut et veteres et recentiores idem esse vocabulum traiecit tantum literis indicaverint (v. Gellii N. A. XIII, 22. Ger. Joann. Vossii Etymologicum in ea voce). Hac demum aetate de ea re dubitatum est, praesertim cum antiqua forma *nesvo* pro *ner vo* in duodecim tabularum reliquiis inveniri traderetur, apud Graecos autem, praeterquam Dorienses, literae s in r mutationem non fuisse usitatam constaret. Tum *παῦρος* et parvus comparare erat in promptu: quod tamen Passovius, cum in lexico de ea re taceat, non videtur probasse. Ac Pottius quoque et de his et de illis (*nervus* et *νεῦρον*) diiudicare veretur, quod earum vocum radices non possit certo declarare nec a suffixis segregare. Alii minus, quam Pottius, cauti (quis fuerit, nunc ipse nescio) silva et *Υβλα* idem censuerunt esse transposita litera v, quae in graeca voce in β abierit; Schneiderus, quod febris a *ferveo* simili modo a Vossio (in Etymolog.) derivatur, non improbat; Buttannus (Lexil. II p. 269. cf. I, p. 171 II, p. 160) ab explicatione prorsus aliena vocabulorum *θεουδής* et *προουσελεῖν* in eandem delabitur rationem, ut *haurio* et *ἐπαυρεῖν*, quin etiam *ἐρρεῖν* cum *ἀρρεῖν* coniungat; denique illud quoque huc trahamus, quod Ahrensius (de dial. aeol. p. 57. de dial. dor. p. 51) ex genitivo *γόννος* (vocis *γόνν*), transposito *ν* *γοννός* et similiter ex *ὄλφαι οἴλαι* factum existimat.

At, ut ab extremis incipiam, in vocibus *γοννός* et *οἴλαι* diphthongus illa, quae locum simplicis *ο* tenet, eadem causa orta videtur, qua in *προουσελεῖν* (de quo ego tamen vehementer dubito) et *θεουδής* eandem diphthongum *οῦ* et in *ἀδέες* *α* longum esse Buttannus (Ip. 171) exposuit, hoc est, ut syllabae quantitas eiectō digamma, quod erat pro *ν*, ne minueretur, quam eandem rationem saepissime in vocibus graecis ad augendam vocalium quantitatem valuisse est peryulgatum. Si in illis vocabulis (*ἀδέες* cet.) vel similibus *αῦ* esset pro *α* vel *εῦ* pro *ε*, sane *ο* traiectum recte diceretur; nunc *α* in *ἀδέες* mansit, at *οῦ* in *θεουδής*, *γοννός*, *οἴλαι* nihil est, nisi *ο* productum. — Si tamen *haurio* et *ἐπαυρεῖν*, *ἐρρεῖν* cum Buttanno obiicis, quae cum sint verbo *ἀρρω* cognata, ex *haurio* *ἐπαυρεῖν*, *ἐρρεῖν* orta esse appareat: de *haurio* quidem facilis est Buttanni refutatio, quum id ex *hausio* ortum esse ceterae eius verbi formae *hausi*, *haustus*, *hausurus* al. demonstrent itaque cum graeco *ἀρρω* non possit ab eadem origine repeti, graeca autem *ἐπαυρεῖν* et *ἐρρεῖν* ipse Buttannus, ut diserte dicit (l. l. I. p. 85 extr. et II. p. 269), cum *ἀρρεῖν* non fuerit compositurus, nisi latino *haurire* via quodam modo ab illis ad hoc muniretur.⁶⁾

Parvus si cum *παῦρος* est cognatum, metathesis certe in neutro eorum facta videtur esse. Nam quin in graeco *παῦρος* litera *ο* non ad radicem pertineat, sed derivationi inservierit, vix dubitabit, qui et *παῦρος* et latina, quae significatione multo, quam *parvus* est, magis illi sunt propinqua, *pauci*, *paulus*, *paucillus*, *pauper* reputaverit. Jam quum in graeca illa voce iustum elementorum ordinem obtinere pateat, in latino earum literarum, quarum altera esset radicalis, altera eaque consona declinationis causa addita, transmutationem factam esse minime est credibile, praesertim cum, quae analogiae causa adhiberi possit, vocalis i in graecis transpositio ita semper evenisse perhibeatur, ut antecedentem consonam transsilierit, non ut subsequentem (v. c. in *τύπτοισα* pro *τυπτοιτια*, al. cf.

6) Eandem sententiam, quam exposui, iam video Pottii esse l. p. 226.

Ahrens de dial. aeol. §. 8, 5. p. 54 sq. §. 15, 3. p. 96. al.) Denique etiam haec addenda sunt, non patere ullam causam, cur pro *paurus*, si id esset, *Romani parvus* dicere mauerint, cum diphthongo au saepissime siat usi; deinde cum adiect. *parvus* et adv. *parum* potius fortasse verbum *parco* cognatum fuisse, ut radix *par* fuerit. Sed etiamsi hac quidem de re nolo statuere, illud certum mihi est, in vocibus *parvus* et *παῦρος* nullam inesse literarum transpositionem.

Maiorem veri speciem profecto metathesis habet in voc. *νεῦρον* et *nervus*. Nam quod origo latini *nervus* ex *nesvus* repetita obstare dicitur (v. Pottii E. F. I. p. 233. II. p. 113 Benary die röm. Lautlehre. p. 211.) id, quantum equidem quaerendo assequi potui, nihil est. Non enim fuit unquam *nesvus*, et *nesvod*, quod in duodecim tabularum reliquiis nescio an ab nemine nisi Grotefendio (in grammatica latina) scriptum legitur, merum est commentum, factum fortasse propter similitudinem veteris *fusus*, pro quo postea *fervus* fuit. *Nesvod* enim neque apud Gellium (N. A. XX, 1.), neque apud Dirksenium in libro de XII tabulis conscripto neque in Eggeri reliquiis latini sermonis vetustioris (p. 93) legitur, immo ne mentio quidem ulla eius formae in illis libris est facta, nec magis id vidi apud Quintilianum (I, 4, 13), Terentianum Scaurum (p. 2252, 2258), Festum (p. 134 Lind.) reliquos veteres grammaticos, neque apud Gerard. Vossium (in Etymolog. s. v. *nervus*), Conr. Leop. Schneiderum (Elem. p. 342 sqq.) Ramshornium, alios, ut non dispiciam, quos grammaticos Benaryus l. l. dixerit. Deinde ut Latini literam *v* post *r* ponerent, haec sane poterat causa esse, quod diphthongo *eu* in mediis vocabulis non fere utebantur (v. Benary Lautl. p. 81). At cum in aliis vocabulis graecae diphthongo \bar{eu} latina vocalis *u* respondeat, cur in hac voce aliam viam Latini inierint? Neque id patet, neque omnino constat, quid de harum vocum ratione iudicandum sit, nisi forte ex graeca lingua prisco quodam tempore *v. nervus* in latinam est translata et in transitu aliquantum a Romanis immutata. Cui sententiae hoc favet, quod praeter vocabula aliquot a *nervus* derivata (velut *nervosus*, *nervicus*, al.) nulla inveniuntur, quae ei quasi agnata sint. Nam de nominibus propriis *Nero*, *Nerio*, *Nerience*, quibus sabina lingua virtutem et fortitudinem significari Gellius tradit (N. A. XIII, 22 cf. Sueton. Tiber. 1.), res est perambigua atque adeo incerta, num ea pertineant ad graecum *νεῦρον*, latinum *nervus*, praesertim cum in illis nominibus absit *v* consona, quae si radicis esset pars, vix post consonam *r* ante vocalem aliquam ab Italis esset omissa. — Sed etiam nunc dubito, num *νεῦρον* et *nervus* ita inter se sint coniuncta, ut elementorum ordo in alterutro sit inversus.

Febris a *fervendo* transmutatis literis derivatum esse sententia est, ut mihi videtur, infelicissima. Nam *v* literam in verbo *ferveo* et prisco *fervo* non esse radicis partem, sed radicem esse *fer*, cognatis vocabulis *formus*, *forceps*, *fornus* et, quae graeca videntur illis respondere, $\theta\acute{\epsilon}\rho\omega$, $\theta\epsilon\rho\acute{\mu}\acute{o}\varsigma$ evincitur. Quare vix poterat a Latinis in proprietate vocabulorum servanda cum maxime diligentibus illa radix ita perturbari, ut *v* consona extrinsecus ei intruderetur ac deinde etiam in mediam *b* commutaretur. Alia igitur ratione *febris* a *fervendo* declinetur, si modo inde descendere iudicabitur, velut Pottius (E. F. II p. 556) *febris* ex *fer-bris* ortum putat, quod etiam Lobeckius probavit (Paralipom. p. 15).

Denique $\sigma\gamma\beta\lambda\alpha$ digamma transposito et in mediam $\bar{\beta}$ converso idem esse, quod sil-

va, ἔλη quis credet? Ceterum si de ea re quaerere opus est, graeci grammatici id faciunt; nam si in his vocibus transpositio aliqua inest, in graeca ὕβλα haud dubie est.

§. 11. Pergimus ad pauca quaedam vocabula, in quibus r litera non cum apposita aliqua vocali sedem commutavit, sed consonam cum vocali coniunctam transsiluit vel transsiluisse dicitur: quam Mehlhornius (Griech. Gram. p. 78) secundum antiquos hyperthesin vocavit. Quae cum in graeca lingua non prorsus infrequens sit (nam τράφος, δρίφος, βράταχος, σκύραξ fuerunt pro vulgatis τάρφος, δίφρος, βάτραχος, σκύραξ): in latina est rarissima nec reperitur nisi in vocabulis quibusdam, quorum origo vulgo non satis patebat.

Ita arcesso cum Romani sero aevo non intelligerent ex praepositione ar (pro ad) et verbo cesso constare, quod a cendi verbo similiter esset formatum, quam facesso, lacesso, capesso ex faciendo, laciendo, capiendo quod Priscianus p. 559 P. probe intellexerat): in formam plane insulsam accerso perverterunt, ut priorem verbi partem praepositionem ad esse appareret.

E graecis distorta sunt colurnus, panaricium, pistrix, quae pro corulnus, paronicium, pristix videntur esse. Quorum quod est extremum, eius etiam alia forma pristis (v. Schneider. Elementarl. p. 512) apud Romanos aequae fuit in usu, atque apud Graecos et πίστις et genuino elementorum ordine (a πρώω ductum) πρώστις; sed pistrix et pistris Romani forsitan propter pinsendi verbum praetulerint, unde pistor et pistrix (h. e. quae pinsit) et pistrina. Panaricium, quod ex graeco παρονύχιον ortum esse dicitur (v. Pott. E. F. II. p. 113), seri demum est aevi (Apuleius enim auctor laudatur), ab hominibus parum accuratis nimis corruptum. Denique colurnus a corno, quanquam nonnulli id voluerunt, non potest derivari, a corylus (sive corulus), ut Schneiderus (Elem. p. 513) recte indicavit, debet derivari, vocabulo et apud Virgilium et apud alios usitato (v. Serv. in Virg. Georg. II, 396. Priscian. p. 595. P.), quod ipsum vere graecum (κόρυλος) esse Wagnerus in commentario de orthographia Vergiliana (v. Virgil. ed. Heyne et Wagn. vol. V. p. 484) nuper probavit. In adiectivo colurnus igitur liquidae r et l sedes habent inter se confusas (uti in gr. κολλύριον et κορύλλιον), quod et poterat fieri propter facilem liquidarum etiam alibi inter se commutataram naturam et factum videtur propter formae corulnus quandam inconcinnitatem, quanquam in etiam in alnus, ulna, vulnus, Cilnius concurrunt.

Tabernam transmutata litera r ex trabe denominatam esse Schneiderus (Elementarl. p. 513) non debebat secundum Donatum (in Terent. Adelph. III, 3, 5) iudicare, cum iam Vossius in Etymol. id reprobasset et cum Prisciano et Festo ratione longe faciliore et probabiliore vocem taberna cum tabula cognatam posuisset; quanquam taberna non ita ex tabula descendisse putanda est, ut l abierit in r, quod cum romanae linguae ingenio prope aequae pugnare censeo, quam tabernae originem ex trabena ductam. Sed radicem potius tab (an taf?) fuisse puto, unde praeter tabulam etiam taberna tanquam de tabera fieri potuit, sicut a stirpe pat et patina et patera, a cista et cistula et cisterna, a modo et modulari et moderari sunt derivata.

Denique vocabulum urbs, quod sit pro urbes, ut plebs pro plebes, metathesi facta, ut Pottius refert (E. F. II p. 115), sanscrito puri, graeco πόλις (quod ῥ habeat pro ρ) respondere existimatur. Id quod mihi minime aridet. Nam p cum sola ante vocalem et in principio quidem vocis esset posita, cur in alium locum et eum satis

remotum transiiceretur, vix poterat iusta esse causa, ac minime quidem ea Latinis poterat esse, qui prisca non facile immutabant: tum autem cur pro tenui p̄ media b fuerit ponenda, non magis potest exputari. Quare v. urbs non pertinere ad πόλις censendum est.

§. 12. Hactenus de hyperthesi et omnino de liquida r transposita. Aliquanto minor eorum vocabulorum est numerus, in quibus literae l transpositio facta esse dicitur. Ex sola latina lingua, graecis non comparatis, haec sunt: calim et clam, plebes et populus, flagro et fulgeo, flavus et fulvus.

Calim pro clam extitisse Festus est auctor; sed literas a et l in his inter se transpositas esse Schneiderus (Elem. p. 513.), priores grammaticos secutus, perperam putavit et Weissenbornium adeo in grammatica latina (p. 21.) scripsisse miror. Clam potius adverbium eiusdem generis atque palam, nam, iam, tam, quam habebitur, ortum ex accus. sing. gen. fem.; descendit autem ex eadem radice, unde verbum celare (in quo tamen e est producta) et graecum καλύπτω, germanicum hēlan (nunc hehlen), quibus postremis docemur vocalem eius stirpis propriam olim correptam fuisse, ut facile potuerit in clam omitti. Ex clam calim non poterat fieri; non enim Romani terminationis vocalem in ipsam stirpem ita intrussissent, deinde aliam etiam vocalem (i) in terminationem adscivissent. Sed nihil obstat, quominus calim singulare quoddam adverbium ab eadem stirpe (καλύπτω etiam vocali cum illo congruit) declinatum esse statuamus, cum etiam clausula im in adverbis satis sit usu comprobata (olim, hinc, statim, al.).

Tum flavus et fulvus significatione tam sunt inter se propinqua, ut olim unum tantum vocabulum fuisse, tum transpositis elementis binas formas ortas et sententia etiam discretas esse opiner. Quod autem vocales sunt diversae: vocalem a hic a principio minus abesse puto, ex clariore autem a obscuriore u propter sequentem l factam esse, ut omnino literae l vocales o et u maxime sunt aptae (qua de re in commentatione II. copiosius exponetur). A in flavus producta est, quod fere fieri solet, ut vocalis, in quam radix aliqua exeat, ante suffixa producat (cf. §. 8.).

Similis vocalium ratio est inter verba fulgeo et flagro (φλέγω), de quibus non opus est, ut multis verbis dicatur, denique inter nomina plebes et populus. Nam vocis plebes quidem stirps ple est, quae eadem in pleo, plenus, plures (antique pleores), πίμπλημι, πλήθος, πλέος, πλείων, al.; vocabuli populus prima syllaba reduplicatione est orta (cf. susurrus, papaver, al.), tum sequitur syllaba radicalis pul, orta illa ex pel (= ple), quae eius stirpis conformatio etiam in graeco πολύς, gothicis filu et fulls conspicitur. Ceterum forma pel propter illa germanica et propter eam rationem, quam supra (§. 5.) exposui, antiquior, quam altera ple, est habenda.

His participium latus potest adici, quod cum sine dubio ex flatu (a ἔλαω) ortum sit (cf. §. 3.), alium elementorum ordinem ostendit, quam verbum maxime cognatum tollō, tuli (et tolero). Attamen in his non possum diiudicare, in utra forma priscus sit literarum ordo, utra a veritate deflexerit.

7) Fortasse huc etiam pollere, quod antiquos polere dixisse Festus tradit, nisi potius ex praepos. pot et valeo est compositum (cf. §. 6.)

§. 13. Jam si Graeca attendimus, etiam de voce dulcis, pulmo, scalpo, sculpo, quibus Graeca *γλυκύς, πλεύμων, γλάφω, γλύφω* respondent et de quibusdam aliis est quaerendum.

De voce dulcis et *γλυκύς* optime Ahrensius exposuit (de dial. aeol. p. 73.), ut pateat olim fuisse *δλυκύς*, unde propter pronunciandae literae δ ante γ difficultatem δ in γ mutato *γλυκύς*, transmutatis elementis dulcis extiterint.

Pulmo qui ex *πλεύμων*, quod atticam pro vulgari *πνεύμων* fuisse Moeris (p. 309), alii referunt, factum sit, non potest dubitari; alia tamen eius fuit conditio, quam adiectivi dulcis. Nam pulmo non fuit ab initio latinum, sed haud dubie ex graeca lingua tralatum, quod et forma fit verisimile, quam in latinis vocabulis Latini l pro n non fere usurpaverint (qua de re deque similibus alio loco aliquando me dicturum esse spero), et usu non reprobatur, qui ab initio vocem pulmo non ita opus haberet, cum partes illae corporis voce latera solerent significari. Mirum tamen est, quod Romani atticam formam acceperunt, cum in Magna Graecia Dorienisium et Achivorum pleraeque fuerint civitates.

Verborum latinorum scalpo, sculpo et graecorum *γλάφω, γλύφω* similis est ratio, quam eorum, de quibus supra (§. 8.) commemoravimus, scirpus et *γρίφοσ*, quanquam Pottius (E. F. I. p. 140) contra iudicat. Nam quod glaber et glubo cum graecis illis verbis cognata videntur esse, eo minime evincitur non posse etiam scalpo et sculpo ad easdem stirpes pertinere. Etenim quam diversas in partes etiam in latina lingua rivuli quidam verborum, ut ita dicam, ex eodem fonte diffluxerint, documento sunt dudum etiam, Jupiter (*δῆν, Ζεύς*), fungus et spongia, popinā et coquo, *ἔρπουα* et equus, natio et genus, al. Totum autem horum vocabulorum, de quibus hic est sermo, discrimen in litera s verbis scalpo et sculpo praefixa continetur, quam principiis eorum accedere potuisse nemo negabit, qui quam multis in vocabulis tum graecis, tum aliarum cognatarum linguarum, tum etiam latinis quibusdam id factum sit, cognitum habuerit. Tum pro media g propter antecedentem s posita est tenuis c, ut in voce scirpus; literarum scl autem in vocis principio pronuntiatio cum horridi aliquid haberet, literam l post vocalem reiecerunt, denique aspiratam f, quae inter duas vocales emolliri solebat, post consonam (l) durius protulerunt, sicuti pro *ἀλφός* non tantum albus, sed etiam alpus olim in sabina dialecto habuerunt (cf. etiam sulphur, Proserpina) et sicuti etiam inter duas consonas, ubi euphoniae causa labialis aliqua erat interponenda, Latini non media (b) ut Graeci, sed tenui (p) uti solebant (templum, sumptus, compsi, cf. *μέμβλωσα, μεσημβρία*, al.). Itaque intelligitur verba scalpo et sculpo graecis *γλάφω* et *γλύφω* ita respondere, ut graeca originariam naturam magis, quam latina servaverint.

Ad illa vocabula a quibusdam etiam v. palpebra est adiectum, quasi ex *βλέφαρον* id ortum sit. Sed miraculum sit, si formae dissimillimae ita potuerint altera ex altera oriri. A palpando potius palpebras dictas esse iam Isidorus (XI, 1.) perspexit, quem Gesnerus (in thesauro l. lat.) alique sunt secuti.

Balare et palari num ad graeca *βληξάν, πλάξειν* sint referenda, mihi prorsus est incertum. De verbi *βληξάν* cum balare coniunctione dubito, quia *ξ* videtur pars esse stirpis, de palari, quod vocalis a in eo est producta, cum in *πλάξειν* *α* correptum fuerit; de utrisque eo magis dubitandum videtur, quod vocales productae non tam pronae sunt ad transmigrandum in alienum locum, quam breves.

Plumbum ex graeco *μόλιβος* (vel *μόλυβος*) originem traxisse perspicuum est, at

quod Ger. Jo. Vossius in Etymolog. posuit, „κατὰ μετάθεσιν et $\bar{\nu}$ eiecto ex μόλιβον fuisse λόμβον et praefixo $\bar{\beta}$ βλόμβον,“ hinc plumbum, vanum est. Nulla metathesi facta, sola vocalis \bar{o} syncope, tum liquidae $\bar{\mu}$ immutatione, denique eadem litera m ante mediam b, ut saepe, interiecta ex μόλυβος plumbum natum esse a Lobeckio (Paralip. p. 95. not. 35.) est demonstratum.

Adiectivum valgus a graeco βλαισός deducere (v. Vossius in Etymol.) nunc paene ridiculum videtur, ut de ea re plura dicere supersedeam, (nec tamen multo minus abhorreo a Doederlini sententia, qui valgus ad vergendi verbum refert, v. Lat. Synonym. u. Etymol. vol. III. p. 272). Quod tamen Buttmannus (Lexil. I. p. 246.) φολκός cum latino valgus comparans verba flecto, plecto, πλέκω cum utroque cognata esse ponit, propter diversitatem principalium in illis verbis literarum (f, p, v) non continuo potest probari; sed amplius de ea re erit quaerendum.

§. 14. Literae l ita transpositae, ut aliquam consonam transilierit, excepto vocabulo columnus, de quo iam est commemoratum, unum tantum affertur exemplum, quod memoratu habeam dignum. Nam vulgus (s. volgus) non solum a philologis superiorum seculorum, sed etiam nunc a viris etymologiarum imprimis gnaris origine non differre a graeco ὄχλος iudicatur (v. praeter alios Vossii Etymolog.; Schneideri Element. p. 366, Pottii E. F. II. p. 112. Hoeferi Zur Lautlehre p. 414 sq.), quod ut vere iudicetur, vehementer vereor. Dicunt enim non solum ὄχλος fuisse apud Graecos, sed apud Aeolenses etiam ὄλχος, apud Cretes πόλχος. At vero ὄλχος nec aeolicum nec graecum fere quisquam novit praeter eos, qui formam πόλχος explicare voluerunt⁸⁾, atque in iis ipsis lexicographi, veluti Passovius et Papius, id nomen non sunt ausi in lexicis suo loco reponere, sed in ὄχλος tantum adscripserunt; ipsi enim aut sibi fixerant aut a prioribus fictum sine iusta causa receperant, cum in veterum monumentis nusquam reperiretur. Quod autem πόλχος in numis quibusdam cretensibus apud Chishullum et Pellerinum legi atque „aspirationem Cretensibus maxime usitatam“ habere dicunt: in Chishullum et Pellerinum inquirere nunc non possum, sed Ahrensium, qui et de omni dorica et de cretica dialecto accuratissime disquisivit, nihil de illo vocabulo commemorare vidi, ut πόλχος vel creticum vel doricum vel etiam aeolicum pro vulgari ὄχλος esse vix possim credere⁹⁾. Praeterea aspiratio illa, de qua Passovius et secundum eum Papius loquuntur, sane admirabilis quaedam est; non enim memini tenuem illam π, quae inter pinguiissimas est consonas, ab ullo unquam dici vel spiritum vel aspiratam. Denique quo iure Cretensibus aspirationem usitatam fuisse dicant, nemo, puto, poterit explicare; longe aliter iudicavit Ahrensium, qui in libro de dial. dor. (p. 396) sic ait: „Ad Lesbiam psilosin quum antiquior Doris inclinare videatur, attamen in univsum a vulgari spiritus ratione non multum receditur“ (cf. p. 400 sq. et p. 419 — 422. adde p.

8) Mehlhornius excipiendus est, qui in grammat. gr. §. 77 (p. 78) ὄλχος tanquam aeolicum nullo auctore laudato refert, cretici πόλχος non facit mentionem.

9) Nunc, quam recte fecerim, ut illa non crederem, intellexi, postquam Eckhelium (doctr. num. vet. I, II p. 308) et Hoeckhium (Creta I, tab. II) adi. Vidi enim in uno Cnosiorum numo ΠΟΛΧΟΣ legi et ita quidem, ut id in adversa parte una cum viri capite, in aversa parte labyrinthi forma et vox ΚΝΩΣΙΩΝ conspiceretur. Quae qui viderit, ei ne levissima quidem dubitatio superesse poterit quin populus Cnosiorum non possit illa voce significari, nomen potius sit viri alicuius, fortasse, ut Eckhelius censuit, magistratus.

35 — 40). Quod cum *πόλχος* et *ὄλχος* mittenda sint, iam nihil extat, quod quasi medium inter volgus et *ὄλχος* ponatur. Sed etiamsi esset *πόλχος*, non continuo adducerem, ut volgus (ac *πόλχος*) idem esse crederem, quod *ὄλχος*, cum huic ne digamma quidem proprium fuisse traderetur nec ulla causa transpositionis tam difficilis nec in una tantum dialecto, sed per totam linguam alterutram factae probari posset. Quam rationem enim Hoferus (l. l.) fuisse statuit („dem Griechischen war das vorantretende l nicht gefüge; es bringt daher, wo l etymologisch vorangehn sollte, das Umgekehrte, nämlich ein durch Versetzung entstandnes *χλ* zu Wege“), eam certis exemplis comprobare debebat; nunc quominus eam probem, talibus prohibeor, qualia sunt *Κόλχος*, *κάλχη*, *Κάλας*, *Καλχηδών*, *Τελχίν*, *ἐθέλχηθην*, al. — Ceterum si volgus graeco *ὄλχος* responderet, Graeci elementa transmutasse essent censendi, sicuti in v. *κόλχος* fecerunt, quod posteriore aevo fuit pro vetere *κόχλος* (cf. *κάλχη*. Schol. ad Soph. Ant. 20. Lobeck. Pathol. p. 4. Pott. E. F. I. p. 86); a Romanis vel sic haec quidem liquidae l transpositio, quae est durissima, videretur abiudicanda.

§. 15. Litera n in quibus vocabulis sedem suam cum aliqua vocali commutaverit, sunt paucissima; in quibus cum altera aliqua consona, sunt, ut vere dicam, nulla; neque magis in unquam metathesis est passa; nam quae eius rei a quibusdam afferuntur exempla, prorsus sunt refellenda.

Primum gnascor, quod olim pro nascor dicebatur, a stirpe gen, olim gan, non videtur syncopata vocali e vel u ortum esse, sed transposita illa a, quae tum in plerisque formis (genus, genitus, genui, gens) in e est depravata. Quae eadem transpositio a Graecis in forma *γνήσιος* est facta.

Similiter nates ortum puto ex gnates (*γνάθος*), cognatum voci gena (*γένυς*), in qua priscus elementorum ordo mansit.

At in v. tenebrae, si modo cum *δνοφερός* cohaeret, nulla omnino metathesis est facta, sed levissima vocalis inter t et n est iniecta, quae a Romanis ita coniunctim pronunciarum non poterant.

Tener etiamnunc a Mehlhornio posse cum *τέρην* cognatum existimari et in eo metathesis agnoscere non credidisset, nisi in eius grammatica (p. 77) viderem. Equidem etiamsi huius vocis utriusque origo et familia plane esset obscura et inexplicabilis (at cf. cum altera tenuis, cum altera *τείρω*), non tamen Graecos Latinosve ita linguae suae rationum ignaros et rudes fuisse existimarem, ut perantiquo tempore (nam nec *τέρην* nec tener in iis habetur vocabulis, quae sero quodam tempore, cum subtilior illarum linguarum intellectus esset deperditus, sunt novata) stirpis elementa cum syllaba derivationis causa suffixa turpissime commiscerent et confunderent.

Nec tolerabilius illud est, quod particulam num nonnulli, velut Vossius et Schneiderus, inversis literis idem esse censuerunt¹⁰⁾, quod graecum *μῶν*, quod significatione illi sane est comparandum. Nam etsi tali inversioni ingenium omnis linguae vel adolescentis vel florentis minus repugnaret, quam repugnat profecto: *μῶν* tamen, quod ex *μῆ* et *ὄν* coaluit, ab origine particulae num plane discrepat, quam cum nunc, nam, *νῆν*, *νó* cognatam et priscum pronomini cuiusdam, a stirpe na vel nu procreati, accusativum esse a Ma-

10) Aliter nec melius Buttmanus in Demosth. Midian. p. 145 et Passovius in lexico s. v. *μῶν*.

xim. Schmidt (de pronom. gr. et lat. p. 61) et Boppio, viro summo, (Vergleich. Gram. p. 534 et 535) luculentissime est demonstratum.

Ad eosdem auctores de pronomine meus eos relego, qui id perperam, ut Schneiderus (Elem. p. 512), ex graeco *ἐμός* literis primis transpositis ortum arbitrantur (v. Max. Schmidt. de pron. gr. et lat. p. 6 et 7. Bopp Vergl. Gr. p. 470). Nec enim latinum illud pronomen ex graeco originem traxit, sed utrumque ex eodem fonte fluxit; et e illa, quae est in meus, pars est radicis, quae ex *ἐμός* (similiter ut ex *σός* pro *τεός*, *ός* pro *έός*) excidit, non prorsus periit in *μοῦ*, *ἐμοῦ*, *ἐμῶν*, *ἐμέ*; quod epsilon autem in fronte graeci *ἐμός*, *ἐμοῦ* cet. extat, eodem modo liquidae $\bar{\mu}$ hic est praefixum, quo breves vocales in vocabulis non paucis tum reliquis liquidis, tum liquidae $\bar{\mu}$ (*ἀμέλω* mulceo, *ὀμίω* mingo, al.), tum maxime literae $\bar{\sigma}$ sunt praefixae. Nec tamen hoc celare volo, $\bar{\epsilon}$ ante $\bar{\mu}$ neque ita praefixum praeterea inveniatur neque omnino in aliarum stirpium graecarum principiis extare praetereaquam in verbo *ἐμέω*, quod in principio olim digamma habuit, et in voce *ἐμός* vel *ἐμός* (testudo.)

Hiems non ex himes ortum esse, quod propter *χειμών*, hibernus cet. alicui ita videri forsitan potuerit, et reliquis formis hiemis, hiemalis, hiemare et graeco *χιών*, *χιόνος* docemur.

Postremo de vocc. temum et *μέθν*¹¹⁾ atque, quae hic statim adiiciam, forma et *μοσφή* taedet plura dicere. Quorum comparationem adeo Odofredi Mülleri calamo (v. Etrusk. L. p. 17) olim excidisse doleo, si nunc viveret, virum egregium dudum improbatum fuisse credo.

§. 16. A liquidis quaestio transeat ad mutarum transpositionem. Ac primum iterum ea vocabula considerentur, in quibus muta aliqua et vocalis aut sint aut dicantur inter se transpositae, ad quae exempla ea continuo accedant, in quibus binae mutae vocali interposita loca sua commutaverint; tum de binarum consonantium nulla vocali interposita disiunctarum metathesi quaeratur.

Nulli dubitationi obnoxia transpositio literae c et proximae vocalis est in nomine Hercules, quod est pro graeco Heracles. Cuius transpositionis ea est causa, quod Latinis literae cl hoc ordine coniunctae, etsi in quibusdam vocibus eas ita tenebant, ut in periclitor et in principiis vocabulorum clino, claudio, cluo, clunes, al., tamen aequae atque cm, tl, al. pronunciandi aliquam difficultatem afferebant, cum Graeci ea facillime ita proferrent (cf. Alcmena pro Alcmena, Aesculapius Ἀσκληπιός, Λέντιλος, Κάτλος, Τοῦσκιον pro Lentulus, cet.).

Reliqua exempla similis transpositionis, quae a Schneidero aliisque proferuntur, fere mihi videntur abiicienda. Nam et idem esse, quod graecum *τε*, literis transmutatis, quae Schneideri (Elem. p. 512) fuit sententia, propter duram consonae $\bar{\tau}$ naturam plane est improbandum. Et potius ad gr. *ἐτι* referendum est (Pott. E. F. II p. 315), *τε* componendum cum *que*, quod osce pe erat (v. Müll. Etr. I. p. 32. cf. *τέσσαρες* quatuor).

11) Vossius in Aristarcho (p. 198) temetum ex *τὸ μέθν* natum ponit, quod etsi satis est portentosum, tamen vix est tam absoum, quam si temum, stirpe prorsus inversa, ex *μέθν* ortum dicitur.

Participium ex perfectis a verbo expergiscor per metathesin esse formatum a Ramshornio (Lat. Gram. §. 12. p. 14) contenditur; at non metathesin in hoc esse, sed expergiscor per Syncopen (vel Synaeresin) ex experregiscor (cf. surgo, pergo pro surrigo, perrigo) factum facillime intelligitur. Non verius idem Ramshornius in perfecto stiti metathesin vult agnoscere, quae nulla est; sed diversa sunt reduplicationis genera, quibus praesens sisto (cf. ἵστημι, quod olim fuit σίστημι) et perf. stiti (cf. spondei a spondeo) sunt formata.

Suesco, suo Pottius (E. F. II p. 115 et I p. 266) a sanscrita stirpe sew fortasse declinandum esse suspicatur, a qua etiam severus, σέβουμαι descenderit. At cum et sine exemplo sit talis transpositio literae v et causa eius nulla possit cogitari, quae in pronunciandi ratione sita fuerit, denique ne significatione quidem verbi suo, suesco cum reliquis a Pottio comparatis congruat: non videtur assentiendum esse. Buttmanni potius sententia (Lexil. I p. 163) placeret, ut graeca ἔθω, ἔθος, ἦθος (olim Fέθω, Fῆθος, v. Lexil. I p. 294. 296. Ahrens de dial. dor. p. 54) latino suo cognata ducerem, dummodo graecarum illarum vocum radix non ἐθ (Fεθ, σFεθ), sed ἐ (σFε) esse demonstratur.

Inchoo per metathesin pro inchoo, ut antiqui Romani scripsisse narrantur (v. Serv. in Virg. Georg. III, 223. Wagner. orthograph. Vergil. p. 440), dictam potest videri (Ramshorn. Lat. Gr. p. 14). At quae veteres grammatici de eo verbo tradunt, ea sunt, ut plenum de eius origine vel scriptura iudicium nondum possit fieri. Nam forma inchoo, quae in monumento Ancyrano legi dicitur¹²⁾ et a Wagnero in Virgilio carminibus est restituta, pravae etymologiae videtur deberi, cum inchoare a coho, quod mundum significaverit, Verrius Flaccus et Suetonius Tranquillus teste Diomede (p. 361) duxerint. Cui derivationi significatio cum maxime obstat; qui enim mundi notio cum inchoando, h. e. incipiendo, est coniuncta? Sane ea derivatio non magis placet, quam qua inchoandi verbum a graeco χάος ab antiquis est repetitum (Fest. p. 79 Lind. Terent. Scaur. p. 2251). Sed etiamsi forma inchoo sana sit ac vera, non tamen ex inchoo transposita litera h potest orta esse nec inchoo ex inchoo, cum h scriptura tantum a c discernatur in ch, pronuntiatione prorsus cum c coalescat, ut non possit ab ea disiungi. Litera h igitur potius ex veteri quodam more in forma inchoo ad c addita, ut in pulcher, chorona, al., in inchoo inter vocales interposita videtur esse, ut in vehemens, ahenus, mehe, al., cum olim fuisset inchoo (v. Gell. N. Att. II, 3. Schneider. Element. p. 187. R. Lepsius de tabb. Eugub. p. 92 sq.)

§. 17. Una interposita vocali eae consonae sunt disiunctae, quarum in Carthaginis nomine alius est ordo, atque in graeco Καρχηδών; utra tamen forma verior sit et iusta elementorum collocatione utatur, non possum diiudicare. Si coniecturam liceat adhibere, graecam formam dixerim mihi magis videri a vero abesse, quam latinam, quia cur Latini Carthago sive Cartago, quam Carchado vel Carcato dicere maluerint, nulla ratio in promptu est (nam charta non est latinum vocabulum, sed ex Graeca lingua pe-

¹²⁾ At in Eggeri reliquiis serm. lat. vetust. p. 341-344 illam non reperi, neque apud Gruterum p. 230-233.

titum, ut Romani urbis illud nomen non facile potuerint ad hoc componere), at Graeci ut *Καρχηδών* pro *Καρθηρών* (vel *Καρδηρών*) dicerent, similitudine nominis graeci *Καρχηδών* potuit fieri, quod nomen etiam ea re cum *Καρχηδών* congruit, quod aspiratio in utroque ex suo loco in alienum transmigravit, qua de re alibi disputabitur.

Ex forpex syllabae transmutatione forceps factum esse iam Velii Longi (p. 2232 P.) est sententia, quam Ramshornius (p. 14) probavit, Conr. Leop. Schneider (Element. p. 513. cf. Formenl. p. 111) non videtur probasse, ut etiam cognominis illius editor Vitruvii et Catonis improbavit (v. Schneid. in Vitruv. X, 2, 2, in Caton. de R. R. XI, 5). Hi enim Bedae potius (p. 2335 P.) et Papiriani (apud Cassiodorum p. 2292 P.) auctoritatem secuti non formae tantum, sed etiam significationis discrimen inter tria illa vocabula forpex, forfex, forceps esse statuerunt, quod apud Cassiodorum his verbis est expositum: „Forfices secundum etymologiam debemus dicere et scribere, ut, si a filo dicamus (fort. ducamus), f debeamus ponere, ut forfices, quae sunt sartorum, et si a pilo, per p, ut forpices, quae sunt tonsorum; si a capiendo, per c, ut forcipes, eo quod formum capiant, quae sunt fabrorum; formum enim dixerunt antiqui calidum.“ At etymologicam certe rationem illam, quam Cassiodorus in explicandis formis forpex et forfex iniit, nemo nunc potest probare, itaque fit, ut etiam de significationis discrimine, quod ille ponit, dubitemus. Nec movemur, quod alii quoque veteres grammatici de eo discrimine fere eadem tradunt, quemadmodum praeter Bedam Isidorus (XX, 13), qui forpicem tonsoris, forficem sartoris esse, et Servius (in Georg. IV, 174), qui forficem ad incidendum, forcipem ad calida capienda atque etiam ad spicula ex vulneribus trahenda fuisse refert. Ita enim grammatici isti etiam de rebus longe ineptioribus interdum inter se consentiunt vel potius nulla adhibita ratione vestigia alter alterius premunt. Quare nisi cum Vossio (Etymol. p. 256) velis facere, qui forpex antiquam vocem fuisse omnino negat, cum nec Servius nec Charisius (p. 74 P.) ubi de discrimine vocum forceps et forfex agunt, eius mentionem iniecerint nec apud antiquorum quenquam illud legatur: in eam induceris sententiam, ut illud unum tantum vocabulum, tribus modis pronunciatum, fuisse iudices. Nam omnia illa instrumenta sartorum, tonsorum, fabrorum, chirurgorum, quae vocibus illis designantur (Scheere, Zange), forma sunt inter se similia, usu tantum diversa; singula enim ex binis partibus aequalibus ita constant et vel clavulo vel alio quopiam modo sunt coniuncta, ut illis quasi quibusdam brachiis res possint comprimi et vel arripi vel, si brachia illa sint acie instructa, dissecari. Quare idem omnibus poterat esse nomen, ab uno (fortasse a forcipe) ad reliqua propter similitudinem translatum, tum quod eius origo non erat in luce posita et facile poterat in oblivionem abire, ab imperito vulgo, quod illa instrumenta maxime usurpabat, corruptum et variatum. Ita si principio forceps fabrorum fuit instrumentum, a calidis (formis) capiendis nominatum, sartores, qui simili ad incidendum utebantur instrumento, ex forceps fingere poterant forfex, quod eo iam non calida caperent, sed foramina facerent (quam tamen pravam esse vocis forfex originationem quisque perspicit); tum ex forfex factum forsitan fuerit forpex, ut vocis forma iterum magis accederet ad forcipis similitudinem. Sed haec quidem ita suspicatus tantum sum, pro certis vendere nolo. Hoc tamen mihi constat, eam metathesin, qua forpex ex forceps factum sit aut, id quod mihi minus est verisimile, hoc ex illo, non esse iustam atque ipsis linguae legibus convenientem, sed vitiosam neque ulla alia ratione nisi imperitorum errore admissam.

Pro lapidicina adhibita mediae syllabae transmutatione etiam lapidicina veteres dixisse Ramshornius (l. l.) cum aliis fuerat arbitratus: quod Pottius secus censuit (E. F. II p. 113), literam d in forma lapidicina post c (vel potius ante n) omissam ratus. At Joh. Ger. Vossii (in Etymol.) et Gesneri (in thes. ling. lat.) sententia potius videtur probanda esse, formam lapidicina solam esse veram, lapidicina imprudentibus seri aevi scribis vel librariis in quibusdam codd. Mss. deberi, qui vocis lapis stirpem non lapid, sed lap (ut in verbo lapio, lapit) esse nescierint. Nam qui titulus ad illam formam lapidicina probandam adhibetur (qui est in Gruteri thesauro p. 593, 8), in eo non fuit lapidicina, sed lapidicina, quod ex Manutii Orthographia (p. 479, — qui liber mihi non est ad manum) unde ipse Gruterus illum se descripsisse confitetur, intelligi Gesnerus ait. Atque item in aliis antiquis inscriptionibus lapidica, lapidicina, lapidicarius, cet., in una (quae est in Orellii collectione n. 1243) adeo lapicaedinae est exaratum, lapidicina nusquam potui invenire, quod ne apud Varronem quidem (de lingua lat. V, 151 Müll.) erat scribendum, praesertim cum VIII, 62 lapidica legeretur.

Vocem basium et alii et Conr. Leop. Schneider ex savium fluxisse existimavit, quae etymologia est, ut dicam, quod sentio, veri dissimillima. Quum enim a principio suavium fuerit ductum a suavis, primum illa v consona post principalem literam eicienda fuit, ut savium existeret, id quod non admodum antiquo tempore accidisse probabile est; deinde primae syllabae transmutatione fuisset opus, postremo levissima illa v in pinguiorem b abisset (idque in ipso vocis principio, quod ita nusquam praeterea factum traditur), ut basium posset exire. Quam vanissimam esse opinionem vix est quod moneatur.

De verbis *σκέπρω* et *specio* diu dubitavi (neque nunc ea dubitatione prorsus vaco), num literis π et ζ (c) in alterutro transpositis cohaerent, quod cum superiorum seculorum doctissimi philologi, tum nuper viri clarissimi O. Müller (Etr. I p. 17), Pottius (E. F. I p. 267), Benaryus (Roem. Lautl. p. 105 sq., qui adeo verbum germanicum schauēn ad eandem radicem refert), Hoefler (Zur Lautlehre p. 305. 306. 310, qui etiam secare et sēhen, goth. saihvan componit), alii probaverunt. At ea quaestio omnino ab hoc loco est aliena, cum sanscrita stirpe *paç* (v. Pott. l. l.) et germanico *spēhon* latinae formae *specio* antiquitas ac veritas probetur, quacum si graeca sit cognata, ea sit commutata et a pristino elementorum ordine declinaverit; quod an graecae linguae rationibus non sit inconveniens, sane potest dubitari, cum Graeci in transponendis literis longe fuerint Romanis faciliores. — Quod autem Pottio (I p. 244) verisimile videtur, vocem *specus* a radice *σκεπ*, quae insit in vocc. *σκέπη*, *σκέπας*, literis transmutatis fictam esse, et propter significationem illorum vocabulorum et propter *σπηλαιον*, spelunca minus videtur probabile.

Vogesus nomen ex Vosegus (s. Vosagus), quod legitur in quibusdam Romanorum libris, sicuti etiam in graeca Caesaris commentariorum (IV, 10) interpretatione *Βόσηχος* (v. Reichard. in Herzogii edit. Caes. de b. G. p. 710), collatis francogallico nomine *Vōs ges* et germanico *Wasgau* iam olim est perspectum. Qualis corruptela in barbarico nomine non potest esse mira; in romano profecto ea consonarum transpositio non fuisset facta.

§. 18. Difficilior etiam his, de quibus adhuc diximus, et a veri similitudine magis abhorrens ea est vel unius consonae in alienum locum eumque remotiorem migratio vel binarum consonarum non una vocali tantum, sed consona etiam aliqua disinctarum inter se

transmutatio, quae in vocabulis nonnullis, de quibus iam quaeretur, accidisse ab hominibus doctis est iudicata.

Primum cesquant, quod in titulo aliquo sepulchrali (apud Gruterum p. 569, 12) pro quiescant est exaratum, Schneiderus (Elementarl. p. 514. cf. p. 339) inter exempla metathesis reposuit. Quae consonarum confusio tam prorsus est singularis et inaudita nec ulla ratione, quam subesse sumas, comprobata nec in ipso eo verbo quiescendi usquam alibi animadversa, ut vitio potius vel errori indocti lapicidae monstrum illud verbi procreatum censeam; cui sententiae etiam id suffragatur, quod in eodem titulo alia prava, seris seculis propria, veluti bixit pro vixit, Afrodite leguntur.

Fascis Vossius (in Etymol.) et Müllerus (Etrusc. l. l.) cum graeco σφάκελος composuerunt, quod nunc non amplius licet, cum σφάκελος pro φάκελος apud Oppianum, qua una, quod sciam, auctoritate illa forma stabat, perperam legi Valckenarius (in Ammon. de differ. vocab. p. 220 sqq.¹³) et Schneiderus demonstraverint (v. Passovii lexic. in illa voce), φάκελος autem nec facile cum latino fascis cognatum fuerit, nec, si essent ambo vocabula ex eadem stirpe prognata, transposita in alterutro elementa esse dicerentur.

Voces scrofa et porcus quod a Weissenbornio (in gramm. lat. p. 21) inter transpositionis exempla numeratae sunt, non possum probare. Magis enim eae inter se distant (nec ulla alia forma quasi in medio inter utramque interposita), quam ut altera ex altera orta possit videri. Alterius enim principalis litera s ab altera plane abest, labialem altera habet tenuem, altera aspiratam; tum non gutturalis atque labialis tantum (f, p et c) diverso in utraque ordine sunt positae, sed vocalis etiam et liquida (o et r), ut praeter literae s πρόσθεσιν duplex consonarum metathesis vel totius stirpis inversio sit statuenda, si illud credatur. Haec autem cum nec demonstrari possint neque ad aliquam veri speciem adduci, res omnino est mittenda. Accedit, quod, cum latino porcus germanicum varah (v. Pottii E. F. II p. 53) plane respondeat, scrofa ad voc. scrobs et graecum γρομφάς (v. Voss. in Etymol. et Benary. Lautl. p. 145) videatur pertinere, latina illa vocabula (scrofa et porcus) non magis videntur inter se coniuncta esse, quam graecum γρομφάς et germanicum varah, quae prorsus inter se sunt disiungenda.

Non magis placet ea vocis stercus etymologia, quam Pottius (E. F. II p. 113) exposuit. Ait enim, ut Hispani (nam eorum quae Pottius superius attulit, diversa est conditio) nunc palabra dicant pro parabola, peligro pro periculo, milagro pro miraculo, Francogalli reglisse pro glycyrrhiza, liquiritia et olim estencelle pro scintilla, ita Latinos stercus pro scertus dixisse, quod cum graeco σκόρ fuerit cognatum. At certe quod Hispani et Galli barbari populi aliena lingua utentes commiserunt, non idcirco Latinis, cum ii sua propria lingua usi sunt, imputari debet. Si autem Graecus quidam poeta καινολόγος, ut Eustathius ait (in Odyss. π, p. 1801), sive Callimachus (fragm. 349) sive Simonides (v. Bergkii poet. lyr. fr. 228) hoc sibi sumpsit ut ἀμιθρεῖν, ἐμιθρόν diceret pro ἀριθμεῖν, ἀριθμόν, fortasse ut per lusum etymologicum poetis graecis non inusitatum ea vocabula cum μετρεῖν, μέτρον componeret: id quidem non potest argumento esse, etiam a

13) Ammonius ipse quoque audiendus est, qui (p. 141) haec scripsit: φάκελος καὶ σφάκελος διαφέρει. φάκελος μὲν γὰρ ἐστὶ φορτίον ξύλων. Θουκυδίδης φάκελους ἔλεγε ἀργείας. σφάκελος δὲ ἐστὶ μετὰ φλεγμονῆς σπασμὸς.

Latinis, qui in consonantibus pronuntiandis, ut iterum iterumque moneo, diligentissimi fuerunt, iisque universis similem metathesin admitti potuisse idque temporibus perantiquis evenisse; nam *stercus* vetustissimam vocem esse et veteris sive regis sive dei *Stercuti* vel *Sterculii* nomen, de quo *Plinius* in *hist. nat.* XVII, 9 et *Macrob.* in *Saturn.* I, 7 commemoraverunt, et vocabula ab illa derivata *stercoreus*, *stercoro*, *sterquilinum*, a *Catone* et *Plauto* iam usurpata, docent. Deinde vero, quod *Pottius* (*E. F. I.* p. 118. II. p. 611) contendit vocis *σκήρ*, *σκατός* stirpem *σκαρ* esse (non *σκατ*), id minime iam constat¹⁴⁾, sed diversa aliorum est de ea re sententia (v. *Lobeck.* in *Phryn.* p. 193. *Paralip.* p. 80.). Quare *stercus* e numero earum vocum, quae metathesin sunt passae, eiicietur.

Vespa a *Ger. Vossio* inde solet a viris doctis (*Passovio*, *Conr. Schneidero*, *Pottio*, *Graffio*, *Hoefero*¹⁵⁾ ad graecum *σφήξ* referri, qua in re vias plures illi sunt ingressi, sed successu, ut de superioribus etiam *Hoeferus* censet, parum felici. Plerique enim literam *s* in altero utro nomine alienum in locum migrasse putaverunt neque tamen, in utro illorum suum locum ea litera obtineret, diiudicarunt, nisi quod superiore tempore uti pleraque latina, quae cum graecis congruere viderentur, ita etiam *v. vespa* ex graeca lingua derivarunt et graeca omnia minus, quam latina, ab origine et a veritate abesse sumserunt. Quodsi quis latinam formam *vespa* veriorem esse, in graeca literam σ ex tertio loco in principem traductam dixerit: equidem sane de ea re vehementer dubitabo, sed propter *σφέγγων*, quod iam veteres grammatici et etymologi ad explicandam vocem *σφέγγων* vel adhibuerunt vel finxerunt, deinde propter *σφέγγος*, *σφέγγων* et *σφέγγον*, *σφέγγων* (v. *Papii Lexic. gr.* in *v. σφέγγος* ac *σπατίλη* et *παστίλη* (v. *Lobeckii Paralip.* p. 80.) illam literam σ ita apud Graecos interdum transponi potuisse non continuo negabo. At in latina lingua talem literae *s* transpositionem et nullo certo exemplo comprobata et cum ipso linguae ingenio, de quo supra diximus, pugnantem non statuam. Et omnino vocabula illa, intellectu plane congruentia, etiam praeter *s* literam reliquis elementis (*v*, *p* et *q*, *z*) tam inter se discrepant, ut diversa origine esse mihi prope certum videatur. Nisi forte *Hoeferi* sententia vincet, qui priorem tantum *vespae* syllabam *ve* et graecum *σφη* stirpem esse, reliqua (*s* *p* a et *ξ*, *κος*) suffixa opinatur. Nam *ve* et *σφη* sane poterunt ex eodem fonte derivari.

Denique de *vos* et *σφώ* *Schneiderus* (*Element.* p. 512) veriora iam est suspicatus, quam et alii et *Ger. Vossius*¹⁶⁾ statuerant, post eum, ut alios taceam, *Pottius* (*E. F. II.* p. 195) exposuit in neutro eorum metathesin literae *s* factam esse, sed in graeco eam literam ex τ ortam, in latino *t* ante *v* abiectam esse.

§. 19. Superest, ut de consonis mutis quaeratur, quae nulla alia vel consona vel vocali interiecta transpositae esse videantur.

14) Si verum id sit, dubitare possis, an *cerda*, quod est in *muscercda*, *opicerda*, *sucercda*, ad eandem stirpem pertineat.

15) *V. Vossii etymol.* in *v. vespa*, *Passovii lexie.* in *v. σφήξ*, *Pottii Etym.* F. I. p. 121. II. p. 112. 195. *Graffii thesaur. ling. german. vetustioris* vol. I. p. 788sq. *Hoeferi Zur Lautlehre* p. 304.

16) In „tractatus de literarum permutatione“, qui etymologico est praefixus, eo capite, quod est inscriptum: „Vocabula aliquot, in quorum derivatione R vel alia quaedam litera sede sua movetur.“

In graeca quidem lingua constat literas duplices $\bar{\xi}$ et $\bar{\psi}$ cum $\sigma\kappa$, $\sigma\pi$ ($\sigma\varphi$) vel a Doriensibus vel ab Aeolensibus vel a reliquorum quibusdam interdum esse permutatas, quam admodum consueta Graecis ea transpositio non debebat a Pottio (II. p. 112) dici (v. Ahrens de dial. aeol. p. 47 sq. de dial. dor. p. 99. Mehlhorn. gr. gr. p. 77). Multo latius patet consonae $\bar{\xi}$ pro $\bar{\sigma}\delta$ et consonarum $\bar{\sigma}\delta$ pro $\bar{\xi}$ usus (v. Ahrens de dial. aeol. p. 47 sq. de dial. dor. p. 94 sq. Buttm. gr. gr. p. 88.) At hoc postremum non pertinet ad latinae linguae rationem, quae neque d literam ante s nec s ante d nisi in compositis habuit, d vel omittere ante s vel in ipsam s convertere, s ante d fere omittere consuevit (trádo, traduco). Reliquae illae consonarum coniunctiones sc, sp et ps, cs (x) in latinis vocabulis haud sunt raras; sed cum ne apud Graecos quidem eae confusiones sint frequentes, in latinis vocibus longe eas infrequentiores fuisse licet suspicari. Schneiderus tamen (Elem. p. 511) cum prioribus, veluti I. G. Vossio, in spu o sp esse pro ps ($\psi\acute{\omega}$, $\pi\acute{\omega}$) censet. At vero graecum ex latino, $\bar{\pi}\tau$ ex $\bar{\psi}$ vel $\bar{\sigma}\pi$ (sp) orta nemo existimabit, quum $\bar{\sigma}$ ex τ persaepe, nunquam $\bar{\tau}$ ex $\bar{\sigma}$ sit ortum, latinas sp autem non esse pro $\bar{\pi}\tau$, sed in hoc verbo spuendi ab origine fuisse gothico speiwa (v. Pottii E. F. II. p. 266) satis confirmatur; quare spuendi verbum aut non est cum graeco $\pi\acute{\omega}$ nisi significatione coniunctum, aut si sunt illa cognata, litera s latinae atque etiam germanicae voci eodem modo est adiecta, quo videmus in graecis non paucis, latinis aliquibus vocibus (qua de re supra est mentio facta), $\bar{\pi}\tau$ autem in voce graeca puto esse pro simplici $\bar{\tau}$ ut in $\pi\acute{\omega}\lambda\iota\varsigma$, $\pi\acute{\omega}\lambda\epsilon\mu\omicron\varsigma$ (pro $\pi\acute{\omega}\lambda\iota\varsigma$, $\pi\acute{\omega}\lambda\epsilon\mu\omicron\varsigma$). Quod ut est, ea transmutatio, qua Graeci quidem $\sigma\acute{\pi}\epsilon\lambda\lambda\iota\omicron\nu$ dixerunt pro $\psi\acute{\epsilon}\lambda\lambda\iota\omicron\nu$, (sp pro ps), Latinis propter spuendi verbum non est attribuenda. Quod cum aliae voces, in quibus ps pro sp vel sp pro ps sint, ne a Ger. Vossio quidem nec a Schneidero nec a Pottio proferantur nec a me quaerente potuerint inveniri, illam transmutandi rationem a Latinis prorsus abiudicamus. Nam quae Schneiderus (p. 511. v. etiam Maittair. de dial. gr. p. 393 A.) ex inscriptionibus monumentorum veterum adduxit, Spychario pro Psychario, Terspicore pro Terpsichore, quum singulis tantum in titulis legantur, non ex aliqua loquendi consuetudine fluxerunt, sed ex lapidarum vel scribarum errore.

Paulo plures sunt voces, in quibus vel x pro sc vel sc pro x esse dicatur. Nam Weissenbornius (in Gramm. lat. p. 21) in verbis disco, pasco, glisco, mixtus, comparatis cum doceo, pecus, $\gamma\lambda\iota\chi\omicron\mu\alpha\iota$, misceo, literarum transmutationem factam esse ait, „nisi forte litera c ante cs exciderit;“ ac praeterea viscum (s. viscus) dudum est ab etymologis cum graeco $\iota\zeta\acute{\omicron}\varsigma$ comparatum. At vero verborum disco, glisco, pasco, misceo prorsus diversa estratio atque origo. Nam pasco non referendum esse ad radicem pac, a qua etiam nomen substantivum pecus exierit (quod cum illo iam Varro de L. L. V, 92 et 95 ed. Müll. composuit), sed a stirpe aliqua pa descendere, satis, si quid video, argumento sunt congenita perf. pavi (cf. inveteravi ab inveterasco), pabulum (nam panis posset etiam ex pacnis ortum esse, ut luna ex lucna, vanus ex vacnus cf. vacuus) et graeca $\pi\omicron\iota\mu\eta\nu$, $\pi\omicron\iota\alpha$ et in quo litera $\bar{\tau}$ assumpta est, $\pi\alpha\tau\acute{\omicron}\mu\alpha\iota$, unde $\acute{\epsilon}\pi\alpha\sigma\acute{\alpha}\mu\eta\nu$ (v. Pott. E. F. I. 191 sq. G. Curtius de nominum graec. formatione p. 42). Omnino autem qui a stirpibus dic, pac, glic (glich) verba quaedam dic-sere, pac-sere, glic-sere, quorum consonae mediae deinde sint transpositae, fingi potuerint, non potest exputari; prorsus enim ea verborum derivandorum ratio est abnormis, cum simplici litera s nulla verba latina a

primitivis sint declinata, sed aut per geminas ss, ut facessere, lacessere, aut per sc, ut inchoativa hiscere, crescere, nasci, al., aut per syllabum sa (pro ta, fortasse etiam per si pro ti) fieri soleant, ut mersare, pulsare (cuius loco veteres pultare Festo teste dixerunt) cessare, mussare, taxare, al. Quare haud dubie glic-sco, siquidem cum graeco *γλίχομαι* est cognatum, dictum est pro glic-sco et disco pro dic-sco, quod perfecti forma didici confirmatur.¹⁷⁾

Restat verbum misceo et partic. mixtus, quorum hoc, quod antiquius, quam mixtus, quod commodius est ad pronunciandum, traditur fuisse, non potest non ex mixtus ortum esse; nam si propter graeca *μίγνμι, μίγα, μίγας*, al. radicem mic vel mig fuisse statueris, formae mixtus et mistus plane careant explicatione, quae optime explicantur, si in radice extrema s fuit. Hoc tamen advertendum est, quod literae c et s, quae sunt transpositae in mixtus, non inter binas vocales fuerunt mediae, sed a muta t exceptae, ut confusio pronunciandi longe facilius potuerit admitti. Graeci contra non ita consona aliqua, sed vocali subsequente pro *σζ* dixerunt *ξ* et contra. Atque haec ipsa est causa, cur graecum *ἰξός* potius ex *ἰσζός* sive *ἰσζός*, quod ex Aetio pro *ἰξός* afferri in Stephani thesauro ling. gr. (tom. IV. p. 616 ed Paris.) traditur, quam latinum viscus ex vixus ortum arbitrer. Sin tamen *ξ* in hac voce nativum fuerit, a Graecis, vel Aeolibus vel Doriensibus, pro eo *σζ* posita et ita ad Romanos hoc nomen translatum existimo, quod iam dixi haud paucas plantarum appellationes non proprias fuisse latinae linguae, sed ex graeca adscitas. Non facile enim credam latine loquentibus literarum cs et x confusionem vel commutationem aequae fuisse in promptu, quam Graecis, apud quos tamen ne ipsos quidem eam frequenter occurrere supra diximus. Quare etiam Pottii (II, p. 506) illam adiectivi lascivus a laxo derivationem relinquendam censeo.

§. 20. Haec quidem de consonantium transpositione. Nec tamen consonas tantum a veteribus fuisse transmutatas grammatici docuerunt, sed syllabaram etiam integrarum loca interdum esse confusa statuerunt. Quod si fieri potuisset, fere nihil in illa lingua non licuisse putarem. Rectissime igitur L. C. Schneiderus (Elementarl. p. 515) fecit, ut Festi illud, qui nesi pro sine in lege dedicationis arae Dianae Aventinensis positum fuisse scripsit, respueret et nesi non pro sine, sed pro nisi scriptum suspicaretur. Idem particulas quoad, usquehuc et adquo, hucusque, al., cum sint compositae, non esse eodem referendas optime monuit; non est enim ea metathesis, sed compositionis quaedam varietas. In eodem numero particulas tamen et *μέντοι* habebit, qui etiam nunc illa congenita crediderit et non potius tamen ad tam, tum, al., apponendum iudicavit (v. Festus p. 273 Lind. Boppii Vergl. Gramm. p. 490).

§. 21. Ultimo loco de aspirationis transpositione dicendum, cuius in latina lingua longe diversa ratio est, quam in graeca, in qua latissime illa patet. Id quod aliter fieri non potuit, quum et Latini, quod saepe monui, multo minus Graecis ad consonarum vel sedem vel naturam immutandam prae inque servanda omnium elementorum proprietate maxime curiosi fuerint, et vero etiam aspiratarum numerus ususque in latina lingua multo minor sit, quam in Graeca. Lingualibus enim aspirare Latini omnino non poterant itaque ea aspirata

17) Cf. de graecis similiter formatis Mehlhorn. in gr. gr. §. 62 extr. p. 63.

(θ) carebant, cuius in transponenda aspiratione apud Graecos celeberrimus est locus (v. Lob. Paralip. p. 44. sqq.) Ne gutturalibus quidem Latini olim aspirabant, sed aspiratae gutturalis loco ipsum spiritum (h) usurpabant, qui cum longe esset exilior, quam Graecorum χῆ, non poterat eodem modo, quo illud, tractari vel immutari. Quam unam Latini habuerunt aspiratam, f, ipsa quoque non eodem iure potest aspirata dici, quam graecum φῆ. In graeco φ enim spiritus magis videtur ad tenuem sonum π in pronunciando extrinsecus quodammodo accessisse et ei agglutinatus esse, id quod Latini scribendo ph optime significarunt; at latina f non incipiebat a labiali clausis fixisque labris prolata, tum in spiritum exibat, sed tota potius quasi aliquis spiritus erat per discrimina dentium, ut ait Quintilianus, et labrorum profusus. Ac ne sic quidem ea litera a Latinis tam frequenter usurpata est, quam φ a Graecis, sed antiquitus non fere pronunciabatur nisi in principio vocabulorum, in mediis plerumque b, interdum p in eius locum est substituta. Itaque cum apud Graecos tum eadem vocabulorum quorundam positio in alia dialecto alium haberet aspirationis locum (veluti βάρβαρος, κίθων, κίθρα ionica sunt pro vulgatis βάρβαρος, κίτων, κίτρα), tum in eadem dialecto aliter in aliis quorundam vocabulorum positionibus esset aspiratum (nam cf. comparativus θάσσων, ductus a positivo ταχίς, genit. ταχίος, qui est a nomin. θρίξ, al.), aliquot vocabulorum etiam in eadem positione diversis interdum modis aspiratio adhibita (fuit enim et κάλλιη et χάλιη, καλλιθών et χαλλιθών, σκεθρός et σχεθρός, al.); in latina lingua, si eam solam per se spectaveris, huius generis varietatem nullam inveneris, ne Benaryus quidem, cuius maxima fuit audacia in statuenda aspirationis transpositione (v. eius Roem. Lautl. p. 190 sqq.), eiusmodi quidquam invenit. Nam etiamsi vera sint, quae ille existimat, faucem a ducendo aere dictam a sanscrita radice duh descendere, verbum fendere, quod inest in offendere, defendere, infensus, proprie quidem idem esse, quod pati (sanscr. badh, παθεῖν), verbum fodio cum nomine puteus (βόθρος, βυθός,) foeteo et foedus cum putris (πόθω) cognata esse: in his latinis tamen, quae ille inter se comparavit, nulla est varietas collocandae aspirationis; alterum enim illorum vocabulorum genus habet in principio aspirationem (faux, fendo, fodio, foeteo), alterum aspiratione plane caret (duco, patior, puteus, puteo). At omnino illa eorum vocabulorum originatio mihi quidem minime potest probari. Quis enim faucem a ducendo, quis nulla de aere mentione facta ab aere ducendo appellatam crediderit? Quis, ut id credere possit, lingualem d in labialem f transisse putaverit? Fendo autem, cui tundendi et pellendi significationem (stossen) fuisse propter composita offendere, defendere, infensus colligitur, longius a patiendi significatione abest, quam ut ab eadem origine utrumque, etiamsi literae magis congruerent, ducturus sis. Tum foeteo et foedus cum putris ac πόθω cognata esse, cum et significatione et elementis tantum utraque differant, non credam, donec luculentioribus argumentis demonstratum fuerit. Neque denique puteum ex stirpe verbi fodio (fundus) ortum asseverare audeo, quod, etsi significatione non ita sunt seiuncta, literis nimium sunt dissimiles. Cum graecis autem βόθρος (βυθός, βένθος, βάρθος) latinum illud verbum affinitate quadam coniunctum esse magis mihi videtur probabile. Quod si ponitur, in altero utro aut graeco aut latino aspiratio suo ex loco in alienum migrasse existimabitur. — Et haec quidem conditio etiam aliarum quarundam vocum graecarum et latinarum esse dicitur, de quibus iam est quaerendum.

§. 22. Tria maxime sunt vocabula latina, quorum stirpes cum graecis significatione prorsus congruunt, elementis ita sunt illis similes, ut literas principales ipsae habeant aspiratas, posteriores medias, cum in graecis principales sint tenues, extremis stirpium literis aspiretur; fidelia, fido, hordeum dico et graeca *πίθος, πείθω, κριθή*.

Primum fidelia merito cum *πίθος, πιδάκη* componitur, praesertim cum etiam apud Graecos veteres altera extiterit forma latinae similior *φιδάκη*. Ita enim scholiastes in Aristoph. equit. v. 789: *πιδάκναι καὶ πιδάκνια οἱ μικροὶ πίθοι, οἱ δὲ παλαιοὶ φιδάκην λέγουσιν*; quae fere eadem in Suidae lexico sunt; adde Piers. in Moer. p. 393 (p. 289 sq. ed. Lips.). Iam latinum vocabulum ex graeca lingua tractum putarem, nisi suffixo eo uteretur, quod a graeca lingua abhorret, prorsus est latinum; unde consequitur, ut ea stirps antiquitus utrique linguae fuerit communis. Plures autem sunt causae, cur latinam eius stirpis formam fid antiquiorem habeam, quam graecam *πιδ*. Primum enim disertis veterum testimoniis, quae adhibui, *φιδάκη* antiquius iudicatur, quam *πιδάκη*. Deinde facilius haud dubie potuit fieri, ut in una lingua eaque graeca ex *φιδ* existeret *πιδ*, quam ut in utraque lingua (etiam latina) stirps *πιδ* transmutata aspiratione abiret in *φιδ* (fid). Accedit, quod, qua ratione ex *πίθος* factum esse possit *φίδος* (fidus), non patet, qua ratione vetus *φίδος* (fidus) in vulgare *πίθος* abierit, a Buttmano (Gr. Gr. §. 18. annot. 2. p. 78) optime est explicatum, cuius verba hic adscribam: *Wahrscheinlich war die Stammform φίδος (fidelia). In der Aussprache ward aus δ-θ (wie ψεύδος und ψύθος, ἐπιμηθής von μῆθος), worauf sich die erste Aspirata verwandelte.* — Denique etiam germanica vox, quam Passovius (in lexico gr.) recte comparavit, butte (de qua Graffius in thesauro linguae germ. vet. vol. III. p. 87 in v. butin) ex ea lege, quae de consonarum origine et ratione a Jacobo Grimmio investigata, nunc omnibus nota est, magis respondet graeco *φίδος*, quam *πίθος* (sicuti *φηγός*, fagus nostro buche al.). Sin autem aliquis formae *πίθος* antiquitatem comparato germanico *fass* (olim *vaz*, islandice *fat*) confirmare tentaverit, ei non solum id obstat, quod non aspiratae θ solet nostra z respondere, sed mediae δ, (cuius locum tamen interdum etiam germ. t [vel tt] obtinet, uti in v. Sattel, quod cum sedeo, *ξδος* est cognatum), sed etiam quod vocabulum *fass* potius cum pes, *ποῦς* (v. Grimm. gr. germ. II. p. 43) ab eadem origine est profectum. Manet igitur, stirpem ab initio fid, non *πιδ* fuisse; quod cum ita sit, aspirationis mutatio in his quidem vocabulis non cadit in latinam linguam, sed in graecam.

Hinc iam coniectare licebit latino fido et graeci *πείθω*, quae significatione maxime congruunt, eandem esse conditionem, quam illorum, de quibus modo dictum est, h. e. latinum vocabulum fido elementorum qualitate minus ab originaria forma descivisse, quam graecum *πείθω*. Quae eadem sententia iam Buttmani fuit (v. gramm. gr. l. l.), sed praeter analogiam vocum illarum fidelia et *πίθος* nulla re confirmatur.

Tertio loco hordeum est dicendum, quod Pottius (E. F. I. p. 143) probabilius cum *κριθή* confert, quam Benaryus (Roem. Lautlehre p. 191) cum *βρίθω*, quanquam ne Pottii quidem sententia, ut iam antea (§. 8.) diximus, iis constat argumentis, ut dubitatio nulla relinquatur. Sed si verum est hordeum et *κριθή* idem olim fuisse vocabulum: hic quoque in graeco vocabulo aspiratio est variata, in latina immota eo loco mansit, in quo ab initio fuit. Docemur enim germanica voce *gerste*, quam

ipsam quoque Pottius adhibuit, graecae latinaeque linguae in eo vocabulo propriam ab initio fuisse aspiratam gutturalem, cuius locum apud Latinos h obtinere diximus (cf. hortus garten, hostis gast, hesternus gestern, al.); nam si graeco latinove vocabulo ab initio litera k (c) propria fuisset, in eodem Germani nunc h haberent, ut est, in canis hund, centum hundert, cornu horn, cerebrum hirn et. Igitur ne in v. hordeum quidem latina lingua aspirationem habet transmutatam, sed iterum eam mutationem Graecorum fuisse videmus.

Vocem fax, quam Benaryus (p. 189) a radice sanscr. dah descendere contendit, unde etiam graecum δαίς ortum sit, Pottius verius, ut videtur, ac certe probabilius ab alia radice bhâ derivat (E. F. I. p. 195. II. p. 509), ut aspiratio in illa suum teneat locum.

Reliqua, quae Benaryus in hac re pertractanda ex latina lingua evocavit, nobis omittere licet, cum ea cum graecis nullis, sed cum sanscriticis tantum comparentur. In quibus etiamsi insit, ut ille iudicat, aspirationis transpositio, non tamen latinae linguae eam tribui necesse erit, neque ea sententia refelletur, quam propter illa, quae sunt exposita, equidem suscepi. Sic enim existimo, non videri in latina lingua aspirationem suo ex loco in alienam sedem unquam translata esse, sicut evenisse constat in graeca. Qua cum sententia Carthaginis nomen et graecum Καρχηδών non pugnare supra est explicatum. Atque in peregrino triumphus eandem aspirationem, qua in graeco θρίαμβος principalis litera pronuntiatur, extremæ stirpis literae (p) sero quodam tempore adiectam esse, cum antiquitus Romani triumphus dixerint (v. carn. frat. arval. v. 37. in Orellii collect. inscr. I. p. 391. II. p. 444), optima est Schneideri sententia (Elementarl. p. 201). Quae tamen necessaria certe non est; nam saepissime olim Romani nulla ratione et q literae et c aspirationem addiderunt, quae recte antea afuerat, ut in vv. gryphus (γρίψ, γριπός), chorona, anchora, al., de quibus idem Schneiderus p. 204 sq. Recte igitur in mea illa sententia perstare posse mihi videor, donec aliis argumentis, quam quae adhuc prolata sunt, de ea decedere cogar.

Commentatio II.

De vocalibus latinis subiecta litera l affectis.

§. 1. Non consonas tantum propter alias consonas, quae aut subsequuntur aut praecedunt, in vocabulis latinis saepissime aliquantum immutari (quam assimilationem grammatici vocant), sed vocales etiam interdum consonis quibusdam proxime appositis ita quodammodo infici et flecti, ut ad illarum naturam magis appropinquent, iampridem est a grammaticis perspectum. Nec tamen haec iam satis sunt perquisita, vel quae sint illae vocales, quibus id fiat, vel quanam illae consonae, quarum ea vis sit, ut vocales appositae ad suam naturam possint convertere, vel quibus conditionibus illae eam vim maxime possint exercere.

Quod cum de his rebus quaerere instituerim, hoc loco de litera l exponam, quae ad vocales eas, quae antecedunt, suae naturae similiores reddendas imprimis valuerit. Cuius rei causa in ipsa literae l pronunciandae ratione inesse iure existimatur. Fuit enim l, ut r, in lingua latina vere semivocalis et propterea cum vocali superiori facilius potuit in unum sonum coalescere; quod cum fieret, vocalis natura consonanti, quae, ut reliquae consonae, fortissime pronuntiabatur, interdum concedere debuit et ad illius vim maiorem, quam quae a vocali superaretur, componi. Quod eodem modo in anglica lingua factum videmus, in qua sequente l litera vocales quaedam (maxime a) saepissime obscuriores et sono o similiores evadunt, (quemadmodum bald, false, fall al, fere idem sonant, quod bold, fôlse, fôl). Non idem in graeca lingua, quae cum λ semivocale quidem haberet, at omnibus consonis, id quod ipsi veteres laudant, non tam pinguibus et duris, sed lenioribus ac dulcioribus uteretur, quam latina lingua, atque utrisque, et vocalibus et consonis, aequiorem tribuerethonorem, vocales plerumque (nam semper hoc ita fuisse non potest contendi) vi literae λ intactas servavit. Plane vero contraria criticorum illorum vocabulorum ratio videtur, in quibus literae λ natura potius a vocali est devicta, ut plane in vocalem abierit et ipsius sonus cum antecedente α vel ϵ in diphthongum coalescit (v. c. $\alpha\lambda\acute{\alpha}\nu$ pro $\acute{\alpha}\lambda\acute{\alpha}\nu$, $\theta\epsilon\lambda\gamma\epsilon\sigma\theta\alpha\iota$ pro $\theta\acute{\epsilon}\lambda\gamma\epsilon\sigma\theta\alpha\iota$, al., de quibus v. Ahrens. de dial. dor. p. 111.) Quibuscum illae diphthongi au (vel eau) et ou sunt componendae, quae in Franco-Gallorum lingua ex al, el, ol existerunt.

§. 2. Nec tamen (ut ad latina redeamus) illa semivocalis l vis tanta fuit, ut quamlibet vocalem subigere et ad soni quandam obscuritatem detorquere potuerit. Sed vocales longae natura sua tantum valebant, ut non fere immutarentur; vox enim ipsa in iis quasi insistebat, non ad consonas sequentes enunciandas ita properabat, ut iam in vocalibus effendis ad illas componeretur. Quare vocales productae sequente l paene semper integrae permanserunt; quam ob causam (ut hoc praemoneam) ubi in hac disputatione de vocalibus commutatis erit mentio, ubique breves tantum, nusquam, nisi nominatim declaravero, longas intelligi volo. — Ex correptis autem vocalibus tenuissima et levissima illa e, ut naturae consentaneum est, facillime poterat corrumpi, non ita facile a, quae gravitate et constantia quadam illam longe anteciret. Deinde vocalis i cum et in vocabulorum stirpibus et in syllabis derivationi inservientibus nunc satis raro literae l antecedens invenitur, nisi certis quibusdam causis aut ex aliis quibuspiam vocalibus nata aut a consonae appositae vi defensa sit: ea quidem, si olim frequentior fuit, in multis commutata indicabitur. Denique o et u ipsae per se tam sunt literae l congruentes, ut vix possint magis congruere. Et maxime quidem hoc ita est in u vocali, quae illi literae similior reddi plane non possit. O tamen in obscuriorem sonum u et potuit sane transire et haud raro abiit. Quanquam id non iam antiquissimis temporibus videtur esse factum.

Nam omnino in veterrimis monumentis saepe o invenitur in vocabulis, quibus postea u tribuebatur, neque id ibi tantum, ubi litera l sequebatur, sed etiam in aliis syllabis, paene dicam, plerisque. Sic enim Cornelio (pro Cornelius) in prima sepulcri Scipionum inscriptione (v. in Eggeri reliquiis p. 100. in Orellii inser. collect. vol. I. p. 149 n. 553). quod omnium veterum monumentorum ad nostra tempora servatorum antiquissimum habetur, sic poplom, exfociont (pro effugiunt), primos, navebos, diebos, captom

in columna rostrata sunt scripta, sic hunc oino cosentiont, duonoro (pro bonorum), Luciom, filios; al. in secundo Scipionum titulo sepulcrali (v. Egger. p. 104. Orell. n. 552); sic apor olim pro apud dictum esse a Festo (p. 22 Lind.) traditur¹⁾. Sed constanter observata ea scriptio ne in antiquissimis quidem veterum monumentis conspicitur. Nam in ipso illo primo Scipionum monumento Cornelius Lucius, Barbatu, apud sunt, in secundo tempestatebus et in col. rostr., si Eggero fides habetur (p. 102 v. 10), navebus²⁾; atque item in aliis quoque fluctuat. Plane vero u vocalis in locum illius o successisse videtur inde a medio sexto urbis seculo. Nam in Scto. de Bacchanalibus, quod anno 568 est factum, terminationes us et um sic ubique inveniuntur (Marcius, Postumius, senatum, urbanum, erunt, al.), non os vel om, nisi certis de causis, de quibus deinde dicitur; ite m in tertia et quarta Scipionum inscriptione (v. Egger. p. 134) et in reliquis septimi seculi monumentis. Rarissime tantum prisca illa scriptio extat, quemadmodum nuntiata (et indocebamus) est in Scto. de Tiburtibus (Orell. n. 3114), prononciato in lege Servilia (v. Egger. p. 239 §. XII. Goettlingii Funfzehn römische Urkunden p. 40. fragm. III, v. 5), denontiari (quod profecto recte est a Klenzio suppletum) in lege tabulae Bantinae, quam Klenzius (Philolog. Abhandlungen p. 10 sqq.) Aciliam, Göttingius (Funfz. röm. Urk. p. 44 sqq.) Plautiam existimavit, prononciatum in lege iudiciaria, quae Pompeia anni 702 (forsitan non vere) putatur (v. Egger. p. 283 cf. p. 282 v. 1.), hoius in lege dedicationis anni 696 (Orell. n. 2488. Egg. p. 281); inmolitomve in tab. Heracl. I. v. 70 (Göttling. p. 65. Egger. p. 303. §. IV), cum in eadem tabula inaedificatum, saeptum clausumve, permissumve legantur; stodia in oratione funebri habita a. U. 727 (Egger. p. 320). Paulo diutius illa o in adiectivo poplicus (pro publicus) aliisque restitit, quae a nomine populus essent derivata. Sic est in Scto. de Bacchanalibus, in sententia de finibus Genuatium et Vituriorum (Egg. p. 185. sqq. Orell. n. 3121), in lege Thoria (Egg. p. 207. Göttl. p. 32), in Scto. de Tiburtibus, in lege tabulae Bantinae, in titulo M. Aquilii Galli, qui ad annum U. 655 referatur (Grut. p. 150, 7. Orell. n. 3308. Egg. p. 254). Sed quemadmodum iam in quinto Scipionum titulo sepulcrali, qui sexto urbis seculo exeunte scriptus putatur, bis est Publius (Publi in v. 9. et Publio v. 10), ita in lege Thoria praeter poplicus pluribus locis publicus, in lege Servilia cum uno loco (Göttling. fragm. IV. v. 22.) popliceis scriptum fuerit, praeterea ubique publicus, publice, cet. legantur; atque sic u in plerisque, ac paene dicam omnibus, posteriorum temporum monumentis est, nisi vetustatis quoddam studium etiam in scribendo obsoleta interdum revocavit.

Deinde etiam ubi litera l sequebatur, fere usque ad sexti seculi finem o pro ea, quae postea fuit, u scripta est. Sic enim consol in primis Scipionum titulis est, consolerunt, cosoleretur, tabolam (non consulere, tabula) in Scto. de Bacchan.; atque in prisca illa tempora etiam titulus ille videtur referendus esse, qui Firmi est inventus (Orell. n. 3147), in quo extremo haec sunt: quaiSTORES aIRE moltaticod dederont. Postea

1) Plura eiusmodi in titulis illis Venusinis occurrunt apud Orell. vol. II. p. 64 (n. 3257 et 3258), qui si non sunt ficti, profecto inter antiquissimos sunt censendi.

2) Apud Orellium tamen (vol. I. p. 149 n. 549) navebos tantum legitur.

vero inde ab extremo sexto seculo per septimum seculum u et o in talibus ante l promiscue scribebantur, o tamen paulatim et maxime quidem ante l impuram, h. e. cum aliqua consona coniunctam, rarescebat. Ita enim accumulavi in tertia, multas in quarta Scipionum inscriptione legitur (v. Egger. p. 134); consulto et singulos in sententia Minuciorum de finibus Genuatium et Vituriorum; populo in Scto. de Tiburtibus; sorticolas, conciliaboleis, taboleis, detolerit, singulos ac pluries etiam tabulas, detulerit, populus, postulaverit, al. in lege Servilia; populum, taboleis et popul, postulabit, multam inrogare in lege tabulae Bant.; consolibus et consulibus, populei in plebiscito de Termensibus (Orell. n. 3673. Götting. p. 49); comolateis (et olleis), et tabulamenta, piaculo (illeis) in lege dedicationis supra memorata (Egg. p. 281). In monumentis seculi octavi non memini me o pro vulgari u ante l scriptam legere, nisi reliquias illas legis de iudiciis, quam Pompeiam anni 702 haberi dixi (v. Egger. p. 282), huc referendas ducis, quod num recte liceat, dubito; nam o illa constanter sic ante l pro u scripta (sorticolis, singoleis, tolerint, tabulam) praeter illud, de quo superius mentio est facta, prononciatum vetustioris aevi videntur esse. In vocabulo vulneribus autem, quod sic et in oratione funebri anno 727 habita (Egger. p. 320) et in decreto coloniae Pisanae anni 756 (Egg. p. 336) est scriptum, o non propter l servata est, sed propter superiorem v.

Hoc enim etiam adiciendum est tum maxime veterem illam o, cuius loco nunc u scribi solet, restituisse, cum vel u (nam non de sola consona v Schneiderus *Elementarl.* p. 31 dicere debebat) vel v aut antecederet aut haec (v) subsequeretur. Qua de re notissimum est Quintiliani testimonium, qui (I, 7, 26) sic dicit: „Nostris praeceptores cervom servomque v et o literis scripserunt, quia subiecta sibi vocalis in unum sonum coalescere et confundi nequiret; nunc v gemina scribuntur;“ quo eodem de loco nuperrime post Schneiderum (l. l.) Wagnerus v. cl. plura exposuit in *orthograph. Vergiliana* (p. 445 sqq.) Hinc igitur in sexto Scipionum titulo sepulcrali (Egger. p. 156) mortuos pro vulgato mortuus scriptum est, cum in eodem gratus (non gratos) legatur; in Scto. de Bacchanall. quom, ai quom, senatuos sunt, sed arvorsum, dum, nominus latini; in sententia Minuciorum floviom, confluom aut confloyom, ager compascuos, iniquom, susvorsom aut sursvorsom aut sursumvorsom, in eadem dixerunt, dabunt, sunt, terminus, eum agrum, al; in lege Thoria queiquomque, quouis, quom, ager compascuos, compascuom et queicumque, modus, locum al; in lege Servilia in perpetuom, mortuosve erit; in lege Puteolana (Orelli n. 4034) rivom, in tabb. Heracleensibus (Egger. p. 301 sqq. Götting. p. 59 sqq.) quom, quouis, suom, sed cum (et praep. et coniunct.); in titulo quodam anni 745 (Orell. n. 598) Volcano, quod et alibi frequentatur; in oratione funebri, quam Eggerus (p. 324) exhibet; tuom, in decreto coloniae Pisanae altero (Egger. p. 337 sq.) duoviros, perpetuom; idem in decreto coloniae Narbonensis (Egger. p. 338), sed in eodem paullo post imperpetuum. Quae omnia ita sunt comparata, ut u vocalem post u vel v pro prisca o ante medium urbis seculum octavum (h. e. ante Christum natum) aut raro aut nunquam positam iudicare possimus. Pos illud tempus u etiam in eiusmodi vocabulis usitatissimam fuisse ex inscriptionibus veterum monumentorum perspicitur, quas excutere hoc loco non est opus. Atque hunc posterioris aevi usum nostrates fere semper sequi solent, ut etiamsi praeposita sit u vel v, ei sine du-

bitatione non o, sed u subiiciant, si modo unquam u fuerit consueta. Ad eandemque consuetudinem ea erunt composita, quae iam de vocalibus o et u propter sequentem l positus exponuntur.

§. 3. Sed antequam ad singulas vocalium affectiones, quarum causa sit in litera l subsequente, explicandas accedimus, hoc quoque in universum est monendum, in ea re interesse etiam, quinam locus quive accentus eius syllabae sit, in qua brevem vocalem litera l excipiat. Nam vocalem eius syllabae, in qua stirps et quasi caput vocabuli insit, constantiorem et non tam mutabilem esse, quam quae vel derivationi vel flexioni inserviat, sponte puto patet. Quare in ipsis stirpibus vocabulorum etiam propter sequentem l vocalis rarius a natura sua detorquebatur. Jam vero accentus latini, de quo ponendo facillima ac brevissima lex est, exposita illa a Quintiliano (I, 5, 30 et 31), tamen mira quaedam est vis ac ratio, quae valeat etiam ad stirpes ipsas aliquantulum immutandas. Etenim quando syllaba radices in eum devenit locum, ut ipsa gravi pronuncietur accentu, acuta syllaba antecedit: tum eius vocalis saepissime pondere aliquantum demittitur et, si fuit gravis ac sonora (quales a, ae, au, etiam e sunt), iam levior fit et exilior (e vel i, o, u); quemadmodum ex ago fit redigo, ex emo redimo, ex cano cecini, ex pario peperit. Sed ea vocalium deminutio iam longius serpsit. Nam ubi vocabulum aliquod in principio incrementum capiebat, cum aut prima syllaba duplicaretur aut praepositio vel aliud quodpiam vocabulum praefigeretur, etiamsi in ipsa stirpe accentus permaneret, vocalis tamen persaepe eodem modo mutabatur atque in illis redimo, redigo, reliquis. Ita enim ex pango fiebat impingo, quamvis etiam hoc paroxytonon esset, ut verbum illud simplex, ex fateor confiteor, ex farcio refertio, patior perpetior, annus sexennis, caput triceps tricipitis, caedo incido parricida, plaudo explodo, causa incuso, al: qua de re hoc loco non potest accuratius disputari, alibi fortasse licebit. Sin autem vocabulum in fine augebatur, ut accentus simul a prioribus syllabis in posteriores procederet, in stirpium vocalibus mutari nihil solebat (habeo haberetur, inhibet inhiberetur, sacro sacraturus sacrificium, consecro consecraturus, al.). Haecigitur in iis, quae sequuntur, erunt respicienda, et primum intererit inter stirpium vocales et eas vocales, quae derivationi inserviant, deinde intererit, sive incrementum in principio ceperit id vocabulum, de quo agetur, sive non ceperit; non intererit, si in fine quid accesserit.

§. 4. Tertio loco de discrimine pauca sunt praemonenda, quod inter simplicem l et eandem cum alia consona coniunctam intercedat. Triplici enim modo a veteribus eam esse pronunciatam et Priscianus, qui de ea re Plinium habet auctorem, et post eum alii, sed ii minus accurate tradiderunt (quorum plerorumque verba Schneiderus *Elementarl.* p. 297 sq. exscripsit). Exilem enim, inquit Priscianus, habet sonum, quando geminatur ut ille, Metellus; plenum (Consentius pinguem, Isidorus largum dicit), quando finit nomina vel syllabas et quando habet ante se in eadem syllaba aliquam consonantem, ut sol, silva, flavus, clarus; medium in aliis, ut lectus, h. e. ubi ab ea incipitur syllaba, sive in principio vocalis est sita sive media inter duas vocales. Hinc iam coniiciendum est, cum natura literae l diversa fuerit diversis illis

positionibus, effectum etiam eius diversum fuisse, sive in fine syllabae sive in medio inter duas vocales collocata sive geminata fuit.

Quae ut iam amplius perquirantur, a simplici l, cui medium illum sonum esse grammatici docent, fiat exordium.

§. 5. Litera l simplex ipsarum radicum vocales, nisi eae propter incrementum aliquod in principio vocabuli additum illam, de qua supra dixi, accentus et naturae suae deminutionem perpassae fuerint, non tantopere potuit immutare, quam reliquas vocales, quae non stirpium ipsarum essent, sed ad derivanda vocabula pertinerent. Primum enim stirpium vocales, nisi illa deminutio acciderat, nullae fere sequente l sunt in sonum pinguiorem conversae, nisi e, eaque non in obscurissimum sonum u abiit, sed in paullo tamen, quam u est, clariorem o; neque id ubique, sed in aliquibus tantum vocibus evenit, in aliis haud paucis etiam e ante l integra mansit (velut in *elephas*, *elementum*, *celer*, *celeber*, *gelu*, *sepelio*, *scelus*). Exempla mutatae vocalis haec sunt:

Olus vel *holus*, quod a priscis *helus* pronunciatum est (Fest. p. 74 Lind.).

Oleum, quod ex *eleum* factum esse graeco *ἔλαιον* docemur, cum nulla ratio appareat, cur potius \bar{e} ex \bar{o} extiterit, neque digammi in voce graeca ullum extet vestigium.

Tolero, ut cognato substantivo *tellus*, graeco *τελάμων* (*τέλας*, *τλάω*) intelligitur (cf. §. 10).

Volo, cuius verbi vocalem e propriam fuisse non tantum infinitiv. *velle*, *convelim* (de quibus posthac erit dicendum), sed etiam vetus germanicum *wil*, *wëllen* est documento. Quare patet, graecum verbum *βούλομαι* vix posse latino congenitum haberi.

Volaterra ab Etruscis cum vocali e efferebatur *Velathri* (v. Müll. Etrusk. II. p. 300), quam vocalem non propter antecedentem v, sed propter sequentem l a Romanis in o esse mutatam aliis exemplis fit probabile, velut nomine etrusco *Vete*, quod Romani *Vettius* (non *Vottius*) dixerunt. Praeterea habita etrusci illius nominis ratione veri simile fit, nomen *Velitrarum* (quod Latii fuit oppidum) idem olim fuisse, quam illud *Volaterrarum*, sed e vocalem propter sequentis syllabae vocalem i, ut in pluribus vocabulis factum esse infra demonstrabitur, immutatam retinuisse.

Columnen, *columna*, quae ad stirpem verbi *cello* (*celsus*, *excello*) referuntur (v. Pottii E. F. I. p. 227. G. Curtius in comment. de nominum graecorum formatione p. 48. annot. 198). Nec tamen plane constat propter sequentem l in illis vocibus vocalem o esse adhibitam, cum eadem in *collum*, *collis*, *κολωνός* appareat, in quibus non videatur eadem de causa potuisse oriri; nam geminata l vocalem superiorem non fere commotam esse infra exponetur (§. 11), et in graecis num propter sequens $\bar{\lambda}$ \bar{o} ex \bar{e} vel \bar{a} fieri solitum fuerit, dubitari potest.

Solium, si Varro (de lingua lat. V, 128. Müll.: „ab sedendo appellatae sedes, sedile, solium, sella, seliquastrum“) et Festus (p. 262 Lind. in voce *seliquastrum*, p. 141 in v. *solla* et p. 241) recte a sedendo repetunt. Pottius tamen (E. F. II. p. 609) *solium* inter ea vocabula habuit, in quibus o ex v et e esset orta; id quod nondum possum probare.

Stolidus idem Pottius (E. F. I. p. 197) originatione audaciore cum graeco *στέλειν*, *στέλεχος*, germanico *stellen* composuit, ut eum significari censeret, cuius ingenium

defixum quodammodo et immotum perstaret (stockdumm). Cui sententiae, si modo alicui ea probabitur, consonarum certe ratio non obstat.

Denique Poluscae et Volcorum (gr. *Ὀυλοῦσχοι*) quoque nomina hic sunt propter Goettlingium commemoranda, qui (Gesch. der roem. Staatsverf. p. 20) ea ex Pelasgorum nomine fluxisse arbitratur. Quod si verum sit, o propter sequentem l pro e pronunciationem dixerim.

Praeter e brevem etiam longa vocalis e propter insequentem l in o abisse a Pottio putatur nec tamen id usquam, nisi in verbo solari, quod ex sedare, l posita pro d, ita sit commutatum, ut v. olere ex odere. At cum ea res sine exemplo sit et ipsi vocalium productarum naturae adversaria videatur, dubitandum equidem arbitror.

Ex a vocali propter sequentem l o orta esse in verbo olesco a quibusdam dicitur, quod verbum simplex olim fuisse et crescendi significationem habuisse Festus (p. 5. 143 al.) adhibitis vv. adolesco, indoles, suboles tradit. Descendere enim illud a verbo alere (v. Lindem. commentar. in Pauli Diaconi excerpta p. 306. 321. Müll. in Fest. p. 5), cognatum, ut iam Festus viderat, graeco *ἀλδήσκειν*. Ac sane longe probabilior ea sententia videtur, quam Pottii, qui a nomine olus (quod olim fuerat helus, holus) verbum olescere venisse et antiquitus holescere (de qua forma tamen veterum nemo memoriae prodidit) fuisse arbitratur, vel etiam Boppii, qui, ut Lindemannus (in commentariis modo dictis p. 416) refert, olescere a sanscrito wridh repetit. Sed fortasse tamen olescendi verbum ita nunquam extitit, alesco fuit vel simile aliquid; o in compositis demum adolesco, abolesco, indoles, cet. in locum pristinae a successisse puto, quod sic propter accentus variationem (cf. §. 3) facilius potuit fieri.

l vocalis ante l forsitan in verbo polit in o transierit, si de eo vocabulo Festo satis est fidei, qui id pro „pila ludit“ fuisse tradit (p. 210 Lindem., quo loco per unam l rectius, ut mihi videtur, scriptum est, quam p. 128 per geminam). Cum quo eodem vocabulo etiam polae vel polulae, h. e. „pilae ex aluta molli fomento farctae“, et polimenta (testiculi porcorum) a Scaligero sunt coniuncta (v. commentarios Lindem. in Paul. Diac. exc. p. 595). At equidem non possum diiudicare, verene illud verbum polit (s. pollit) de quo aliunde nihil constat, cum reliquis illis et cum pila cognatione aliqua contineatur an prorsus sit ab illis segregatum.

De v. olim, quod esse videtur pro ilim, illim, posthac erit exponendum. Colo, colonus denique, in quibus olim i fuit, id quod ex composito nomine inquilinus intelligitur (ita iam Marius Victorinus p. 2460 P. sensit), tamen non huc pertinent; namque o non propter sequentem l habent, sed potius propter priscam v, quae vocalem i antecedeat. Ut enim pro disquatio, disquittio a veteribus discutio dicebatur, pro quinire cunire, quod cum inquinando cognatum esse iam Festus perspexit (cf. p. 10 et 39 Lind. in vv. ancumulentae et cunire. cf. etiam Priscian. p. 872.): sic pro quilo, quilonus (qua forma supposita id explicatur, quod in nummis quibusdam colonia simplici consona Q designatur, qua de re Schneiderus Elem. p. 328 mentionem iniecit) colo, colonus pronunciabantur. In quibus ut pro ui non u, sed o poneretur, propter illam l factum puto, quae sola posita ac pura in radicem syllabis facilius cum o, quam cum u coire videbatur, ut est in reliquis illis vocabulis, de quibus modo diximus.

§. 6. Jam si vocabulum in principio syllaba vel una vel pluribus augebatur, brevis

vocalis, quam in ipsa vocis stirpe litera l subsequeretur, interdum immutabatur, nec tamen in o sonum, sed in pinguiorem u abibat. Videtur enim propter accentus immutationem (v. §. 3.) vis eius vocalis, quae erat in radice, ita imminuta esse, ut proprietate literae l appositae vehementius afficeretur, quam in illis vocibus factum vidimus, quarum accentus ratio non fuisset variata, utque non modo in o sonum, sed adeo in obscurissimum u converteretur. — Ita factum est vocali e in perfecto verbi pello, pepuli et in perculi, cuius verbi prima positio est percello. Neque alia ratio perfecti tuli est, quod cum olim tetuli fuerit (v. et al. et Nonium Marcell. p. 178. Merc.), u vocalem etiam tum retinuit, cum prima syllaba abiecta esset. Nam praesentis etiam formae simplici olim eandem vocalem (u) fuisse (tulo) non credo, quamvis Priscianus (p. 817 et 896 P.) verbum tulo veteribus in usu fuisse dicat, cuius tamen usus nullum neque ipse neque alii grammatici attulerunt exemplum. Fuit haud dubie tolo, unde et tolero et tollo et fortasse tolutim sunt profecta; tum in compositis verbis accentu mutato u successit et attulo, abstulo extiterunt, quae verba a veterimis scriptoribus Naevio, Pacuvio, Plauto sunt usurpata (Diomed. p. 376 et 378).

Praeterea in verbo oculo pro illa u olim e (vel i) fuisse videtur. Cognatum enim et supercilium habetur, in quo tamen i alia de causa potuit esse, et celo, in quo quod e est producta, cum in occulendi verbo vetus aliquod celo cum brevi e¹⁾ inesse sumatur, fortasse propterea minus mirum iudicabitur, quod eadem est ratio inter sêdo, rêgis, lêgis et sêdeo, rêgo, lêgo, al. Ad quam sententiam confirmandam (id quod iam in superioribus, comment. I. §. 12 p. 14, significavimus) non graecum *καλύπτω* tantum accedit, quod quidam potius cum *κρύπτω* coniungunt, sed etiam, quod latino verbo similis est, germanicum *hilan*, *hëlen* (de quo Jacobus Grimm, vir summus, in *grammat. germ. I.* p. 571. ed. 3. cf. etiam Pott. E. F. I. p. 227).

Hic etiam populus et manipulus sunt apponenda, in quibus u ante l pro e est, quod eae voces ex eadem stirpe, atque pleo, plenus, venerunt, qua de re in Comment. I. §. 12. est disputatum.

In verbo exulo quoque u vocalis ex o putatur orta esse, siquidem a solo id originem traxisse nonnulli iam veteres censuerunt, quia solum verterent exules, (v. Fest. p. 152 Lind. p. 350 sq. Müll.; Non. Marc. p. 12. cf. Cic. or. p. Caec. 34, 100. parad. 4. Liv. V, 30), hinc etiam hoc tempore nonnulli viri docti recte acceperunt (vid. e. c. Götting. Gesch. d. roem. Staatsverf. p. 269. not. 7. Weissenborn. gr. lat. §. 7, 3. p. 9). Neque id ei sententiae refragatur, quod pro exilium nusquam legitur exulium (v. Doederl. Lat. Syn. u. Etym. I. p. 177); sic enim ne consilium quidem pro consilium invenitur nec tamen quisquam a consulendo id derivatum esse negabit vel a saliendo potius consules appellatos dicet, quemadmodum exules ab exsiliendo denominatos vir clarissimus (v. Doederl. l. l.) serio, sed infelicissime indicat²⁾, ut propter significationem utriusque vocis videtur. (v. etiam Pott. E. F. II. p. 605).

1) Unde etiam vocali brevi eiecta clam est factum.

2) Nec melius videtur, quod assulatim etiam ad saliendo verbum propter unum Plauti locum Captiv. IV, 2, 54, refert, in quo nisi partic. vel post v. pultando omittenda est, verbis, ut saepissime, luditur, cf. id. Menaechm. V, 2, 106 et Non. Marc. p. 72 Merc.

In vv. *consul* et *consulo* olim o pro ea, quae nunc semper scribitur, u fuisse et inscriptionibus veterum monumentorum patet, in quibus *cosol*, *consoluerunt*, al. *satis* saepe leguntur, et verbo *solino* confirmatur, quod idem esse, quod *consulo*, apud Festum (p. 152 et 268 Lind.) legimus. Sed fueritne illa o ex alia quapiam vocali (a vel e) orta, an ab initio eius vocis propria fuerit, id nescimus.

In v. *praesul* ex vocali a originem vocalis u exisse certum videtur, cum et omnis *praesultor* (v. Non. Marc. p. 530 in v. *Quod ludis*) et *Saliorum princeps* (v. Fest. p. 226 Lind. in v. *redantruare*) eo nomine primum sit appellatus, hinc idem ad eos, qui in ceteris sacerdotiis primi essent, translatum fuerit (cf. etiam, si placet, Doederl. et Götting. ll. ll.) Vocalem e potius ab initio in v. *praesul* fuisse fortasse credit, qui pro *praesidium* etiam *praesilium* veteres usurpasse a Mario Victor. (p. 2457) acceperit itaque *praesulem* tanquam *praesidem* a *praesidendo* nomen habere coniecerit. Quae sententia num Conr. Leop. Schneideri fuerit, ex eius verbis (p. 256) non plane perspicitur; illa priore haud dubie multo minus ad veritatis speciem accedit itaque recte negligitur, sicuti etiam Servii illud, quod *consilium* a *considerando* declinatum putat (in Virg. Aen. IX, 4), a Schneidero (l. l.) merito improbatum est.

Etiam in voce *insula*, quam ex *in* et *salum* (quod *insula* sit in *salu*) compositam esse iam Festus (p. 82 Lind) statuit, quem Vossius (Etymol. p. 311) et hoc tempore cum alii, tum Pottius (I. p. 65. II. p. 605) secuti sunt, u vocalis, si quidem vere illi iudicarunt, ex a orta erit. At cum ea vox non solum de terris ex mari prominentibus, sed etiam de domiciliis quibusdam hominum fuerit in usu, quorum cum illis comparatio Romanis quidem prisco tempore in mari minime versatis non poterat admodum in promptu esse: de alia originatione potius videtur esse cogitandum, quae fortasse ex iis, quae Pottius (II. p. 605) secundum Niebuhrium de vv. *exul*, *praesul*, *consul* a radice *es* repetendis posuit, enucleari poterit, ut significatio vocis *insula* primaria eadem exeat, quam Lindemannus vult (comment. in Pauli Diac. exc. p. 465).

In *fulae*, ait Festus (p. 83 Lind.), sunt filamenta lanea, quibus sacerdotes et hostiae templaque velantur, unde colligitur iam Festus *infulas* ab *infilando* dictas putasse, id quod Scaliger in *Coniectaneis* diserte est elocutus (v. Vossii Etymol. p. 309). At etiamsi vocis *infula* significatio ab *infilando* facillime posset declinari, quantitas tamen mediae syllabae in utroque vocabulo est ita diversa, ut v. *infula* non possit cum v. *filum* composita dici. Gesnerus igitur (in thes. l. l.) *infulas* ab eo potius, quod est *infra*, denominatas arbitratur (, *infulae*, ait, sunt quasi *inferulae*, dependentia circa caput filamenta, quae a vitta s. vittis constringuntur): quocum in ea re Benaryus (Lautl. p. 152) fere consentit, nisi quod significationem vocis aliter explicat et, unde illa vocis illius terminatio *ula* provenerit, plane non curavit, quae maxime vereor, ut verbo, quod ille sumit, *infuo* apta fuerit et conveniens.

Nominis proprii *Poplicola* syllaba penultima per u rarissime scribebatur (non enim me videre memini, nisi in titulo quodam Romano, qui est apud Orell. n. 517.), quasi esset deminutivum aliquod; praeterea et reliqua cum verbo colendi composita (*agricola*, *coelicola*, *incola*, al.) et hoc vocalem o immutatam tenuerunt.

Epistula sic per u vocalem posteriore demum linguae latinae tempore, h. e. inde a primo et secundo post Chr. n. seculo videtur esse scripta, uti legitur in titulo sepulchrali, qui anno p. Chr. n. 136 est factus (Orell. n. 4354) et in decreto Domitiani (82 p. Chr. n. Vid. Orell. n. 3118), et ex antiquis Senecae codicibus Carolus Fickert, meus olim collega coniunctissimus, enotavit (v. eius Prolegomena in novam operum L. Annaei Senecae phil. editionem. 1839. p. 48). Quod propter sequentem l ita factum esse, qui superiora illa reputaverit, non poterit negare; atque facillime id poterat evenire in voce peregrina, cuius originem Romani non perspicere³⁾, nam in domesticis vocibus o vocalem in ipsis vocabulorum stirpibus non ita facile solebant in u convertere.

Etiam adulescens literae l causa interdum per u scribebatur, velut in titulo sepulchrali Moguntiaci reperto (Orell. n. 4579, at in 4582 est adulescens, ut plerumque), et ea consuetudo postremis imperii Romani temporibus et medio, quod dicitur, aevo, maxime pervulgata fuisse videtur; sic enim et in antiquissimo illo Senecae codice Bambergensi, de quo Fickertus l. l. refert, et teste Müllero in bonis Pauli Diaconi excerptorum codicibus legitur (p. 5, ubi tamen tertia praesentis persona adulescit, non adulescit est). At vulgaris quidem horum vocabulorum ea est scriptio, qua vocalis primitiva retinetur; rarissime tantum in talibus apud optimos auctores u invenitur. Quare si respicimus, in quibus vocabulis compositis ipsa stirps vocalem habeat sequentis literae l potentia in u conversam: admodum pauca illa esse intelligimus, quae supra sunt enumerata: perculi, pertuli, perpuli et alia eorundem verborum composita, occulo, exulo, consulo, praesul et, ut quibusdam videtur, insula.

§. 7. At in syllabis, in quibus non ipsa vocabuli stirps inest, brevium quidem vocalium omnium frequentissima, ubi l sequitur, vocalis u est, quum aliis consonis sequentibus eae syllabae alias vocales soleant habere (e, maxime quum sequitur r, vel i). Eae enim syllabae quum longe minore essent dignitate, quam stirpium syllabae, omnino non tam accurate et clare olim videntur esse pronunciatae atque expressae, quam illae; sed si fieri poterat, vocalis plane nulla audiebatur inter vocabula composita vel inter stirpem et suffixum; ubi id non licebat, ea vocalis adhibebatur, quae ex levioribus (h. e. brevibus e, i, o, u) maxime ad reliqua vocabuli elementa esset accommodata, quo facillima ac lenissima fieret pronunciatio. Hinc non Graeci tantum *Κάτλος*, *Τοῦσκλον*, *Κάστων*, similia scripserunt pro Catulus, Tusculum, Castulo, sed ipsi Romani antiquitus⁴⁾ poplus, popli (pro populus, populi v. Egger. p. 77. 102. 368), Fostlus (Egger p. 362), tableis (Egg. p. 219), similia dixerunt (cf. etiam titulum apud Orell. n. 4409 in monumento seculi p. Chr. n. secundi) et in carminibus atque in communi sermone eam syncopen in compluribus vocibus quovis tempore admiserunt (periculum, fiblae, figlinus, tablinum, cf. te-

3) Etiam in Ulixis nomine, in quo Romani semper u vocali utebantur pro o, quae est in graeco *Ὀδυσσεύς*, causa illius u adhibitae in litera l subsequente et in accentu inest, quo penultima, non prima syllaba pronunciabatur.

4) Idem de Umbris dicendum, qui vitlu (non vitulu, ut Latini vitulus), katlu, fondlire, stiplatu, puplu, veskla, al. dixerunt (v. Lepsius indic. vocc. Umbr. in eius Inscript. Umbr. et Osc.) non eodem iure de Oscis, quorum sakaraklum quidem est et deklune et Herekleis, Nih-fimlups, veskllis, fistlus (cf. embratur), sed etiam fistelu, pukalatui, viteliu, ziko-lom.

gumen, tegimen, tegmen). At in ornata oratione, quae non esset metricis legibus adstricta, eae consonae, quae non videbantur facile coire posse, et in omni sermone eae, quae nullo pacto poterant una pronunciari, leviori, ut dixi, vocali semper disiungebantur. Ita est in pulver, alter, celebrer, paternus; i in pulvis, cinis, patribus, funditus et in ultimus, infimus, ubi u olim fuerat scripta, semper vero medius quidam inter i et u sonus audiebatur (Quintil. I, 4, 8). O et u in his fere non usurpabantur nisi sequente l vel pura vel impura, et o quidem antiquissimis temporibus, ut supra demonstravimus, in his fuit in usu; ex ea inde ab altero ante Chr. n. seculo u facta est, nisi certae suberant causae servandae vocalis o, de quarum quibusdam vel supra iam est tractatum (§. 2.) vel deinde exponetur; i autem (vel e) ante l puram pro usitata illa u (vel o) sane non est infrequens, sed id ipsum quoque quas propter causas plerumque (ne dicam semper) factum sit, poterit explicari.

Sic u vocalis non solum in plerisque nominibus deminutivis, quae quidem cum simplici l sunt formata, ante eam literam soletesse, sed item etiam in reliquis vocabulis eodem modo terminatis, h. e. in nominibus, quorum extrema syllaba est lus vel la vel lum, et in verbis syllaba lo terminatis, nisi ea deflexa sunt a nominibus iis, in quibus i est ante l (quemadmodum est in vigilo, vigil, al.). Sic est in his: annulus, Catulus, damula, casula, obstaculum, vapulo; vetulus, credulus, epulae, pergula, ferculum, eiulo; trimulus, hinnulus, latibulum, fibula, fistula, nidulor; corculum, poculum, copula, postulo; iugulum, frustulum, nucula, bucula, ululo, ustulo. Vocalem u autem in his propter sequentem l esse pronunciatam, cum iis vocabulis intelligitur, quae quod quaedam in se continent ei vocali adversaria, iisdem locis alias habent vocales, ut mox videbimus, tum graecis formis, in quibus, cum eae latinis prorsus respondeant, non tamen \bar{o} vocalis vel \bar{v} , quae sunt Romanae u maxime comparandae, sed $\bar{\epsilon}$ est vel \bar{a} . Quales sunt *σκόπελος*, *Σικελός*, *νεφέλη*, quae latine dicebantur scopulus, Siculus, nebula, et *κραιπάλη*, *πάσσαλος*, *ιταλός*, *στραγγαλάω*, *Ἡρακλῆς*, quibus respondent latina crapula, pessulus, vitulus, strangulo, Hercules.

Deinde eadem conditio eorum etiam vocabulorum est, quae bisyllabis clausulis leus, lentus utuntur, et quae praeterea vel ab his vel a prioribus illis, de quibus diximus, sunt derivata, quorum in numero ea quoque habeo, quae in leius exeunt: veluti aculeus, coeruleus, truculentus, opulentus, pisculentus, esculentus, leguleius, Cannuleius, Proculeius, al. Nam a verbo olere (olim odere) terminationem illam lentus vel ulentus (olentus) venisse Doederlinus (Synon. I. p. 42) in vv. sanguinolentus, violentus, vinolentus, truculentus non potuit satis probare, at omnino non conatus esset id probare, si plurimorum vocabulorum in syllabas ulentus exeuntium rationem haberet (luculentus, corpulentus, pisculentus, turbulentus, frustulentus, al.) atque ea quoque respexisset, in quibus i est ante lentus: aquilentus, gracilentus, macilentus, de quibus posthac loquemur.

In componendis vocabulis illa literae l vis non videtur valuisse. Nam vocalis illa, quae vocabulis conglutinandis inserviebat, etiamsi l succederet, tamen non u, sed i solebat esse, veluti in his: veriloquus, versutiloquus, armilustrium, sacrilegus, privilegium, aequilibris, aequilaterus, al. Praeter tubilustrium tamen etiam

tubulustrium propter illam literae l potentiam ab antiquis scriptum videtur, quod Müllerus apud Varronem (de L. L. VI, 14) restituit⁵⁾; sed ibi fortasse non solum propter l sequentem, sed etiam propter syllabae superioris vocalem u in secunda etiam syllaba u est, quae apud eundem Varronem non est in consimili composito armilustrum (V, 153 al.). Portulaca num huc referenda sit, dubitari potest, cum origo eius vocis non perspiciatur; attamen cum etiam porcilaca dicta sit, eadem huius vocis conditio videtur esse, quae tubilustrii et tubulustrii.

§. 8. Jam vero de iis vocabulis, quorum haud exiguus est numerus, dicendum est, in quibus ante suffixa a simplici l incipientia non obtinuerit vocalis u, quam consuetam in illis esse modo diximus; causaeque sunt explicandae, propter quas l litera saepe non poterit ad immutandam vocalem superiorem valere. Sunt autem eae causae maxime in vocalibus syllabarum proximarum positae, quae vocales si minus congruebant cum vocalis u natura atque vi, alia quaequam vocalis illis similior ante literam l extitit. Diversa tamen evenerunt, sive illa altera vocalis, quae literae l antecederet, ipsi insidebat, nulla consona interposita, sive consona aliqua erat interiecta. Quare de his duabus conditionibus singulatim exponetur.

Ac primum vocalis i vel e antecedens, si nulla intercedebat consona, nunquam u admisit ante suffixa ab l litera incipientia, sed o tantum. Hinc non sciulus, viula, viulo, viulentus, sed sciulus, viola, violo, violentus et gladiolus, unciola, negotiolum, tum lineola, alveolus, horreolum, al. dicebantur. Quae lex constantissime videtur esse servata; nullum enim, quod sciam, extat vocabulum, quod ante illa suffixa vocales iu vel eu habeat. Neque ergo hiulo, quod Ramshornius (gr. lat. p. 257.) olim extitisse et unde hiulens descendisse suspicatur, recte se habet, sed, si tale verbum unquam extitit, hiolo fuit. — Ou autem vel uu in similibus vocibus prorsus nunquam reperiuntur, cum ii soni nimis fuerint ingrati ac difficiles; quare Latini, ubi vocabuli stirps vocali o vel u terminabatur, si deminutione opus erat, consonam aliquam (c vel b) interiecerunt (sacula a sus, bubulus a bos); in uno, quod mihi quidem notum est, vocabulo contuolus (Fest. p. 33 Lind.) nihil interposuerunt, sed pro altera u potius o adhibebant.

Sed cum vocali u consonae v pronuntiatio fuerit simillima ob eamque causam veterioribus temporibus, ut est in superioribus expositum, ne ea quidem cum illa sit coniuncta, sed o solita sit vel ante v vel post eam reponi: hinc in paucis quibusdam vocibus o ante suffixa illa a litera l incipientia etiam posterioribus temporibus sola fuit in usu, quibus temporibus in plerisque vocibus illo modo terminatis etiam post v consonam vocalis u usurpabatur. Sic igitur quum posterius quidem convolvulus, involvulus, servulus, parvulus, nervulus, aquula, equula, equuleus, al. non iam convolvulus, servulus, parvulus, cet. dicerentur: frivolus tamen, helvulus, Scaevola sic semper vocalem o servaverunt, nisi quod paucis quibusdam in titulis Scaevula est scriptum (vid. Gruter.

5) Apud Festum (p. 352 sq.) tamen ipse Müllerus tubilustrium scripsit, et sic etiam in Ca lendaris veteribus est (v. Orell, coll. inscr. II. p. 386 sq. 409).

p. 293. Drakenb. in Liv. II, 13 p. 292. Schneider. Element. p. 31). Adiectivi enim frivolus origo non ita patebat, ut cum reliquis deminutis aequandum esset; adiectivo helvolus altera forma helveolus aderat, in qua o vocalis propter e appositam retinebatur, itaque iam in utraque voce o mansit; denique Scaevola cum esset nomen proprium, quod genus omne antiquitatem magis servat, quam reliqua vocabula, non abiit ab antiquissima forma. His conivola adiungerem, nisi id ex vetustissimis tantum scriptoribus a Festo (p. 46 Lind. 61 Müll.) exscriptum putarem. Sed fortasse similis quaedam ratio vocalis i est in vocc. aquila, aquilentus, aquilo, Aquileia, equila (quod ex Varrone Nonius p. 106. Merc. excitavit), sterquilinum (pro quo postea sterculinum fuit). Nec tamen earum formarum causa et origo satis iam liquet.

§.9. Tum vocalis superiores syllabae, etiamsi consona quaequam media interesset, in ea vocali, quam consona l suffixi exciperet, afficienda et ad quandam aut sui similitudinem aut literae l dissimilitudinem pertrahenda interdum aliquid valuisse est censenda, quanquam hoc quidem statim patet eam normam in nulla vocali fuisse constantem, sed in quibusdam eam valuisse, in plurimis non valuisse. Ita propter i vocalem factum puto, ut vinolentus, sanguinolentus veteres aequae dicerent atque viola, sciolus, unciola (de quibus supra), non vinulentus, sanguinulentus, viola cet.; iidem tamen virulentus, pisculentus dixerunt, neque unquam ante reliqua illa suffixa, quae a litera l ordiuntur (lus, la, lum, leus), propter i literam consona aliqua interposita antecedentem o posuerunt pro vulgari u (vinulus, spinula, spicula, stimulus, hinnuleus, al.) In una voce sibilus i pro vulgari u similitudinis causa videtur successisse, quod in nulla alia voce eodem modo factum cognovi.

At e vocalis, si consona aliqua ipsam subsequebatur, veterem illam o ante l non prohibuit, quominus in u abiret; quare terrula dicebatur, non terrola, et ventulus, recula, tegula, nubecula, temulentus, pulverulentus, Venuleius, al. Similiter sunt faeculentus, foetulentus, fraudulentus, non faecolentus, cet.

Vocalem a in causa fuisse putarem, ut gracilentus, macilentus, non graculentus, maculentus diceretur, nisi i iam esset in gracilis, macies, unde potius in illa videtur transisse. In aliis similibus u est, etiamsi in superiore syllaba vocalis a habetur, e. c. in damula, catulus, al.

Sed o vocalis, quae est in stirpe, effecit, ut obolus (pro $\delta\beta\epsilon\lambda\acute{o}\varsigma$), somnolentus essent, non obulus, somnulentus, ut nebula, virulentus; eadem in vocc. florulentus, opulentus, corpulentus, potulentus, poculentus non potuit idem efficere.

Denique propter u antecedentem fortasse in vocibus mutilus, rutilus, nubilus, inbilo eo loco vocalis i est, ubi in aliis vocc. u est; nam pumilus (pumilo), ut sterilus, gracilus, ad similitudinem usitatorum illorum gracilis, sterilis, pumilis sunt conformata⁶⁾. In illis igitur dissimilitudo quaedam syllabarum et varietas vocalium videtur quaesita esse, ne eadem vocalis nimium frequentaretur. Cui sententiae non nimium

6) Pro focilo potius foculo aut focillo, si metro id conceditur, legendum puto; v. Gesnerthes. l. l. in v. focilo.

adversatur, quod aliae voces simillimae extant vel binis u vel ternis pronunciatae, ut rufulus, rutulus, rutula, mutulus, tubulus, scrupulus al., cum notum sit nulla fere praecepta tanta inconstantia esse servata, quanta euphonica. Praeterea eae voces, quas extremo loco posui (rufulus, tubulus, cet.), cum vere sint deminutivae, quo in numero illa mutilus, rutilus non habentur: in illis u vocalis magis constabat, quam in his. Attamen si quis melius explicuerit, cur voces illae i habeant ante l, non u, facile ei concedam.

Longe plurimum omnium vocalium ad reliquas, quae quidem non iam plane constant, sibi assimilandas ut in germanica lingua, ita etiam in latina vocalis i valet. Quae si in suffixis literam l sequitur, fere semper vocalem superioris syllabae, siquidem ea brevis est atque ea qualitate ac conditione, ut secundum ea, quae supra sunt exposita, propter sequentem l possit in obscuriorem quendam sonum (o vel u) commutari, non est passa obscurari, sed aut ab omni mutatione prohibuit aut sibi adaequavit. Hinc terminationes illae ilius, ilia, ilium earum vocum, quae descendunt a nominibus in ulus, ula, ulum vel ul (genit. ulis) exeuntibus, quales sunt familia, Sicilia, Romilius (quod tamen etiam Romulius dicebatur. v. Fest. p. 135. 225 Lind. et Müller. in Fest. p. 268. Orell. inscr. II. p. 16), consilium, exilium, Popilius, Rutilius, Scaevilius, al., derivatae a vv. famulus, Siculus, Romulus, consul, exul, populus, Rutulus, Scaevola. Quibus alia nomina eodem modo terminata erunt addenda, quorum origo non ita patet, velut Carvilius, Aemilius, Virgilius, supercilium (quod tamen a celando vel occulendo venire putatur), alia. Epistolium, non epistilium, quod dicebatur, non est in nomine peregrino mirum. Amulius et edulium non possunt hic in censum venire, cum u longam habeant. — Reliqua vocabula, aliis modis ab illis in ulus, ula, ulum, ul desinentibus ita derivata, ut i habeant post l, veluti quae in tas, tus, inus exeunt, tamen u ante l immotam retinuerunt. Ita est garrulitas, non garrilitas, sedulitas, oculitus, famulitium, aesculinus, catulinus (Fest. p. 35 L. — an hinc Catilina est dictus?), fabulinus, faeculinus, famulinus, foetulinus, figulinus, Proculinus (Orell. inscr. II p. 25), tabulinum, vitulinus al.⁷⁾ Cuius rei eam puto esse causam, quod hoc derivatorum genus, ut vel propter eorum significatum licet suspicari, posteriore tempore, quam illud in ilius finitum, a veteribus est fictum atque usurpatum, quo tempore et omnino ad elementa verborum immutanda minus essent prona et vocali illi obscuriori u (vel, ut tunc loquebantur, o) tantopere assuevissent, ut non facile mutare vellent. Idem fortasse de paucis illis nominibus dicendum est, quae in ulio terminantur, ut cucullio, curculio; de quibus tamen vix certi quidquam statui potest, cum eorum origo lateat et ne scriptio quidem satis constet, siquidem etiam duabus scriptum cucullio et gurgulio pro curcul. invenitur.

Deinde i ante l in omnibus adiectivis syllaba lis terminatis propter ipsam eius terminationis vocalem i est posita, licet in vocibus cognatis, sed illa altera i carentibus vocalis u (vel o) literae l praeponatur. Ita facilis, similis dicuntur, cum congenita sint facul (v. Fest. p. 65 Lind. Nonius p. 111 Merc.) et difficul, faculter, facultas, simul, simulo, simultas; deinde docilis, habilis, agilis et decurtata vigil, pu-

⁷⁾ Cantilenam hic in transgressu commemoro, quo in vocabulo i propter e sequentem videtur esse; cf. postilena (Plaut.).

gil, multa alia, quibuscum cognata nulla possunt adhiberi, in quibus u vocalis sit. Eandem causam literae i etiam in verbis exilio, transilio, reliquis, quae cum salio sunt composita, et literae e in verbo sepelio arbitror esse; si enim illa altera i literae l subiuncta non esset, exulo, transsulo, sepulo, puto, audita essent, ut exultum, exulto, sepulcrum, sepultum, cet. Tum in voce umbilicus, quae cum græco *ὀμφαλος* est comparata, non i esset ante l, sed u, ut in crapula (*κραπίλη*), pessulus (*πάσσαλος*), ceteris, de quibus antea locuti sumus, nisi etiam post l literam altera i succederet.

Porro in coniunctivo velim propter illam i, quae est in extrema syllaba, etiam in stirpe vocalem e, quae in ceteris eiusdem verbi formis simplici l sequente in o abiit, reventam esse sponte intelligitur; volim, quod, ut volam, similitudine indicativi commendabatur (Priscian. p. 848. P. cf. Schneider. Elem. p. 150. Struve über die lat. Declinat. u. Coniug. p. 320 sq.) et propterea a veteribus interdum dicebatur, non potuit illud antiquius loco depellere. Tum in voc. famelicus e vocalem retinuerunt veteres, ne a famulo descendere videretur. Denique etiam in vv. ardelio, melior, melinus (quod est a melle ductum) et seliquastrum (quod a sedendo nomen habere Varro tradit) i vocalis literae l subiecta prohibuit, quominus superior e moveretur. In v. solium tamen non tantumdem valuisse erit censenda, nisi forte ea vox a solo primum descendit itaque o vocalem quasi hereditate iam traditam accepit.

Haec quidem habuimus de l simplicis et purae vi in commutandas vocales antecedentes. Superest, ut duo vocabula commemorem, in quibus literae l causa insequentem vocalem u factam esse possis suspicari; volumus et aplustre dico. Quorum hoc cum e græco *ἄπλαστον* sit ortum, cur u assumerit pro a, nulla praetera ratio apparet, nisi forte et vocali immutanda et consona r adiicienda hoc quaerebatur, ut similitudo quaedam latini lustrum existeret. De v. volumus autem scio equidem et hanc u et graecorum o, quod in prima pluralis persona esse solet, propter sequentem labialem (m) orta existimari: sed cum haec u in sonum exiliorem i abierit, causam quandam fuisse patet, cur in vv. volumus, nolumus, malumus u maneret. Atque ea causa forsitan in illa l fuerit; etsi confitendum est in similibus colimus, tollimus, pellimus non idem esse factum, in sumus, possumus non posse eandem vocali u causam statui. Quod si quis dixerit u pro vulgari i servatam esse, quo indicativi forma a coniunctivo differret: eius sententiae oberit, quod vel propter quantitatem earum vocalium illa non potuerunt confundi. Sin quis vetustatem commemoraverit, quod antiquissima quaeque et nomina et verba, quo in numero verbum illud velle sine dubio est habendum, etiam elementorum vetustatem maxime retinuerint, ei facilius subscribam.

§. 10. Jam de gemina l est disputandum. De qua ut statim summam sententiae meae ponam, hoc vocibus haud paucis, in quibus illa occurreret, consideratis perspexi, ea quidem subsequente fere nunquam vocales ullas, ne levissimam e quidem, esse a natura sua declinatas inque obscuriorem sonum o vel u conversas; ita igitur geminam l a simplici qualitate et potentia differre, ut, quum simplici vocales o et u maxime essent convenientes et pronuntiatione affines, ad geminam omnes vocales fere aequae quadrarent. Quod cum ita esse primo mirarer, causam deinde in iis vidi, quae Priscianus et ceteri grammatici de literae l proferendae ratione tradiderunt, quae in superioribus adscripsi (§. 4.) Quum enim geminatae l exilior sonus fuerit, quam simplici, propter eam ipsam naturae suae debilitatem

et subtilitatem non potuit vocalium, ne maxime debiliū quidem, naturam, ut ita dicam, superare sibi que subiicere, sed intactas eas reliquit. Ad quam sententiam suscipiendam quibus exemplis adductus sum, haec maxime sunt:

Cello (quod inest in compositis percello, excello, al.) et pello, quae verba etiamsi initio augentur, quod praepositionibus praefixis maxime fit (impello, compello, percello al.), vocalem suam e tamen servant, ubicunque geminam l habent; eandem saepissime mutant, si simplex l sequitur (pépuli, compuli, perculi;⁸⁾ pulsus, percussus, al.).

Velle, quod verbum propriam suam vocalem e, ut vidimus (§. 5), simplici l sequente in o mutavit, nisi vocali i literae l subiuncta defendebatur, eandem duplici l praepositam integram retinuit (vellem, velles; velle).

Vello, cuius vocalis non mutatur, nisi una tantum l subsequente; nam perfecti forma aut velli est aut vulsi, ac praeterea et vellico, (fortasse etiam vellus) et vulsus, vultur, vulnus inde sunt declinata.

Mella, unde et melleus, melliculus, mellaceus, al., et mulsum, promulsis.

Promellere, de quo Festus (p. 131 Lind. 252 Müll.) mentionem fecit; cuius a stirpe mel et remeligo, in quo e est ante l propter sequentem i, et remulcus, promulcus venire a Müllero optime est explicatum (v. eius annot. in Fest. p. 224 et 402).

Tellus, cui quod est cognatum, tollo per o pronunciatum, quum a tolo (unde etiam tolero venit; v. § 5 et 6) sit formatum.⁹⁾

Refello, ortum ex fallo, quocum compares exulto, inculco, insulsus, al., composita cum salto, calco, salsus.

Fortasse etiam sella huc facit, si solum et solium eandem cum hac voce habent originem.

Deinde etiam illa possunt afferri, in quibus semper est e, quod semper geminam l habuerunt: bellus et bellum (in quibus ne v quidem illa, quae olim pro b fuit, vocalem e sequente gemina l potuit eodem modo afficere, quo in bonus, quod ex duonus, duenus est ortum), fellis (a nomin. fel), Gellius, helluo, stellio, al.

Tum magnus vocabulorum deminutivorum vel, ut magis generatim dicam, derivatorum numerus huc pertinet, in quibus geminata l est. Quae etiamsi ab iis vocibus descendant, in quibus simplex l et ante eam vocalis u est, semper tamen vel e vocalem vel i geminatae l praepositam habent. Ita haec sunt comparata: avicella, capitellum, catellus, ocellus, popellus, tabella, Ruffelleius, Vitellius et bacillus, cantillo, gracillo, oscillum, pocillum, tantillus, quibus respondent avicula, capitulum, catulus, oculus, populus, tabula, Ruffulus, vitulus, baculus, cantulus, graculus, osculum, poculum, tantulus; quibus alia facile poteris adicere, quae Ramshornius (in Gramm. lat. § 82, 3 not. 2. p. 236) conguessit. Atque his vocabula, si paucissima excepe-

8) Eodem non solum recellere (Fest. p. 136. 229 Lind. Lucret. VI, 572) et procellere (Fest. p. 123) pertinent, sed etiam proculato (quod per provocato explicatur; Fest. p. 214 L. 248 M.) et proculiunt (quod idem esse atque promittunt Fest. p. 131 L. 252 Müll. tradit).

9) Meditullium tamen Festus „ab eo, quod est tellus, quasi meditellium“ dictum esse iudicat; quod si verum esset, cum nostra sententia pugnaret. At Cicero Top. 36. tullium illud „productionem verbi“ tantum esse dicit, ut in finitimo, legitimo timum; quae sententia a Müllero (in Fest. p. 123) est probata, nec tamen mihi placet, quamvis probabiliorē non possim substituere talis enim vocabuli productio prorsus est sine exemplo et, quomodo facta sit, vix poterit demonstrari.

ris, de quibus deinde dicitur, nulla, quod sciam, possunt opponi, in quibus o (vel u) nulla alia de causa sit ante geminam l, quam propter ipsam hanc consonam subsequentem. Nam in vv. lenullus, homullus, ampulla, Marullus, Tibullus, Catullus, ullus, satullo, persolla, corolla, propterea u sunt et o, quod hae vocales ipsarum illarum vocum sunt propria, e quibus hae fluxerunt (leno, homo, amphora, Maro, Tibur, Cato, unus, satur, persona, corona.) Eadem fere conditio est vocis olla, ut deminutivo auxilla intelligitur; caesulla autem una Festi (p. 136) auctoritate non satis est firmatum et caepulla (ductum a caepa) perperam in quibusdam Palladii codicibus (III, 24, XI, 11) pro cepula, quod in aliis videtur esse, legitur; denique vocis medulla originem plane non perspicio, cum a *μελός* nemo sanus eam possit repetere.

Prorsus similis causa est vocalium a, e, i cum in aliis plerisque huius generis vocibus, tum in his: vallus (quod est a vannus), catella (catena), opella (opera), puella (puer), misellus (miser); et sic in ceteris omnibus, quarum primitiva vel er vel r suffixum habent, e est ante ll, quia ea vocalis cum r sequente facillime coibat; e. c. in fenestella (fenestra), cultellus (culter, cultri), cerebellum (cerebrum), flagellum (flagrum), lucellum (lucrum), al. Tum i sic est in villum (vinum), anguilla (anguis), lapillus (lapis), pulvillus (pulvinus), pistrilla (pistrina) et in multis, quorum primitiva n tantum habent ante flexionis syllabam, quod cum n pura vocalis i facillime coniungitur, ut pugillus (pugnus, pro puginus), sigillum (signum), tigillum (tignum), suillus (pro suinulus, ut videtur).

§. II. Attamen sane memorabile est, quod i ante ll nunquam, quod equidem viderim, in iis vocibus reperitur, quarum primitiva eodem loco vocalem e aut etiamnunc habent aut propter sequentem r haberent, si ulla vocali opus esset, contra e vocalis haud raro est in deminutivis, in quibus propter primitivorum formam, in qua in vel n sit, vocalem i expectes, velut in his: asellus (asinus), gemellus (geminus), femella (femina), fiscella (fiscina) lamella (lamina, lamna), pagella (pagina), columella (columna), scamellum sive scabellum (quo tamen usitatius est scamillum, v. Ramshorn. gr. lat. p. 235, a scamno). Quare poterit aliquis in eam opinionem adduci, ut vocalem e maxime omnium vocalium cum gemina l consensisse et facillime ante eam pronunciari potuisse putet. Id quod magis fit probabile, cum pro villa rusticos vellam dixisse a Varrone (de R. R. I, 2) doceamur et in verbis velle et vellere etiam v literam videamus esse, quae, ut in aliis (vomo, voco, cf. *ἐμέω, ἔπος*), ad e vocalem in o commutandam conferre poterit, nisi alia quaedam causa retinendae e esset. Item res se habere videtur in adiecto bellus, de quo iam est mentio facta: quod cum ex vetere duenus sit derivatum (primo igitur fuit duellus), non accepit, ut bonus, vocalem o propter antecedentem v, sed vocalem e tenuit, ut bene, sed diversa causa; nam in adverbio extremae syllabae similitudine vocalis stirpis poterat firmari ac defendi, id quod in bellus non ita poterat fieri; quare hic forsitan geminata l idem effecerit.

Attamen sunt etiam complura vocabula, quae in illis, illa, cet. exeunt, cum nulla conspiciatur causa, propter quam ibi non e, sed i sit usurpata. Ex eo genere haec sunt: armilla, bacillus, tantillus, regillus, codicillus, oscillum, pocillum, furcilla, tum pusillus, axil-

la, auxilla, maxilla, paxilla, pauxillus, persillum (Fest.), quasillus, taxillus, tonsilla (Fest.) vexillum; — an suspicari licet in his extremis literam s, quam quadam similitudine cum i vocali contineri non potest negari, in causa fuisse, ut i vocalis praeferretur? — Tum verba taceri non possunt, in quibus deminutivam formam ello non potui invenire, alteram illo solam in usu fuisse puto, praeterquam ubi primitiva quaedam vocalis ante geminam l erat tenenda (satullo a satur). Sunt igitur cantillo, cavillo, vacillo, titillo, conscribillo, focillo, furcillo, murmurillo (nam quod Ramshornius in gr. lat. p. 257 habet, murmillo per typhetae errorem fortasse est scriptum, cum id quidem substantivum sit, non verbum), al.

Quae cum ita sint, nondum poterit diiudicari, utrum e vocalis cum sequente l gemina facilius coierit, quam ceterae vocales, an nullum sit inter e et i vocales in ea re discrimen. (cf. interea § 16. p. 49). Id autem constat geminae l Romanos non amasse obscuriores vocales o vel u praeponere, quas simplici l subiuncta facillime ac libentissime proferrent.

§. 12. Constat illud, ut spero, etiam si vel unum vocabulum vel paucissima ei normae adversentur. Jam demum enim de pronomine ille est dicendum, quod a veterioribus ollus est pronunciatum et sic apud Ennium etiam nunc legitur et Lucretium, Virgilium, al., denique in compluribus antiquissimorum monumentorum inscriptionibus (v. Eggeri reliq.). Cuius de origine quidquid iudicabitur (nam ambigitur etiam nunc), hoc cum disertis veterum scriptorum testimoniis (e. c. Varr. de L. L. VII, 42. M. Fest. in v. ab oloes), tum ipsis illis locis veterum scriptorum monumentorumque, in quibus olli, olla, ollum, al. sunt, utique cogimur pro certo habere, unum tantum esse pronomen, dupliciter in principio formatum; id quod Pottius (E. F. II p. 131) non videtur statuisse. Jam hoc quoque exploratum puto, i vocalem in ea voce antiquiorem esse, quam o; namque ex o vocali nulla ratione potuit i fieri, at i cur transierit in o, sequente l litera aliquo pacto potest explicari. Quanquam mirum profecto istud est, primum quia i vocalis in stirpe vocabuli praeter hanc vocem per raro (si modo usquam) in o abiit, deinde quod geminata l sequitur, cuius lenissimo sono ea efficacitas aegre tribuatur. Nam quod apud Festum (in v. ab oloes) et fortasse in inscriptionibus nonnullis pronomen illud cum una l scriptum legitur, eo non iuvamur; nam aut eo more hoc factum est, quo ante octavum urbis seculum geminatione liquidarum in scribendo veteres abstinuerunt, aut vocalis producenda fuit, sicuti in olim, o est longa, quod haud dubie est ab ollus declinatum, unde interdum etiam ollim scriptum reperitur. Ita autem nova oboritur difficultas, quod vocales longae non fere potuerunt consonae l appositae potentia immutari. Quas difficultates ut amoveam vel explicem, ego non valeo, alius fortasse aliquando expediet.

Tum etiam in voce mollis propter sequentem l, quanquam ea geminata est, o vocalis in locum clarioris cuiusdam soni (a vel e, i) successisse comparatis graecis *μαλακός* et *μειλιχος*, germanico *mild* suspicari possumus; nam a movendo id esse derivatum et pro movilis (mobilis) dictum (v. Lünemann. in lex. lat.; Heyn. et Wagn. in Virg. Aen. II, 389. IV. 66) nec propter significationem nec propter literarum rationem videri potest. Sed ut, quae sit de eo vocabulo sententia mea, breviter adumbrem: equidem posteaquam ea, quae Buttmanus in lexilogo (II p. 261 sqq.) et Graffius in thesauro ling. germ. vet. (II p. 710 sqq. 721 sq. 725) exposuerunt, diligenter cognovi et perpensi, vix dubitandum esse ar-

bitror, quin et molere (gr. *μύλλειν*, gothic. *malan*) et mollis (gr. *μαλακός*, *μείλιχος*; goth., anglosaxon. et island. *mild*) et mulgeo (*ἀμέλγειν*, germ. *mélchan*, nunc *melken*) et alia complura ex eodem omnia fonte fluxerint, qui inest in radice aliqua *mal* sive *mel*. Quod si recte iudico, vocalis *o* in voce mollis non gemina litera *l*, sed illius, quae olim (ut in *molere*) fuit, simplicis potentia ex originaria illa *a* vel *e* est orta, quae de mutatione supra (§. 5) est dictum.

Similiter id esse videtur in *v. pollis* (*pollen*), quod admodum probabiliter cum graeco *πάλη* comparatur (v. Vossii *Etymol.* — Passovii *lexic.*) et a stirpe *pal* vel *pel* forsitan eo tempore exierit, cum ea iam propter *l* literam in *pol* esset mutata, quod etiam in *polenta* agnoscitur.

Neque aliter de verbo *polleo* existimo, siquidem id non ex *pot* et *valeo* est compositum (v. post alios Pott. *E. F. I.* p. 193. II p. 276), sed a radice illa *ple* vel *pel* venit, quae etiam in *vv. plebes*, *populus*, *pleo*, al. inest (v. supra p. 35). Vocalem *o* enim in eo vocabulo iam fuisse puto, a quo *polleo* est derivatum, quod vocabulum primitivum sine dubio unam tantum literam *l* habuit, sicut *populus*, *pleo*, cet.¹⁰⁾

At quid de voce *pullus* dicam, quae graeco *πελλός* respondet et cum *πολιός* etiam comparatur, plane nescio, cum in ea ante geminam *l* ne *o* vocalis quidem sit, sed adeo *u*, quae tamen in ipsis radicibus non soleat ante simplicem *l* existere, nisi vocabuli principio incrementum quoddam accesserit (v. §. 6.). Id igitur nunc relinquendum est.

§. 13. Sequitur ut de *vi* literae *l* in fine vel nominum vel syllabarum (sequente altera quapiam consona) positae disputetur. Quem locum si illa obtinebat, saepissime factum est, ut vocalis antecedens in *u* abiret; nam gravissima et obscurissima illa vocalis largissimo et pinguisimo literae *l* sono (v. Priscian. p. 555. *Consent.* in arte de barb. et metapl. c. 12) maxime fuit apta; in paucis tantum *o* est ante *l* impuram. Sed ut ordine rem tractemus: in fine nominum litera *l* rarius illam vim in vocales appositae exercere potuit, cum pleraque vocabula ita terminata aut literam aliquam aut syllabam, quae olim post *l* finalem fuerat adiecta, perdiderint, quae litera vel syllaba si extaret, vocalem superiorem mutari non pateretur. Ita *mel*, *fel* proprie essent *mell* (sive *meli*), *fell*, quod genitivo *mellis*, *fellis* docemur; quod cum in his *e* propter sequentem *l* geminam non posset mutari, (v. §. 10.) ne in decurtatis quidem *fel*, *mel* alia est vocalis. Vel si a volendo est ductum, olim veli fuisse puto, uti *noli*, ut vocalis *i* causa esset servandae *e*, quemadmodum id etiam in *velim* esse intelleximus (§. 9). *Famel* (*Fest.* p. 87 Müll. 65 Lind.) cum non latinum fuerit, sed oscum, non est mirum. Neque enim *Osci* neque *Umbri* vocales *o* et *u* cum *l* coniungere levio remve vocalem *e* in obscuros illos sonos traducere, ut *Latini*, amaverunt, quod de *Umbris* luculentissime, de *Oscis* satis luculenter iis vocum *Umbricarum* et *Oscarum* indicibus perspicitur, quos *Ric. Lepsius* in libello de inscriptionibus *Umbricis* et

10) *Pollet*, quod est apud *Festum* pro *pollet*, non potest hic de literae *l* simplicitate afferri, cum, ut ipse *Festus* adicit, propterea id ita olim scriptum fuerit, „quia nondum geminabant antiqui consonantes“.

Oscis exhibuit. 44) Deinde pugil est pro pugilis; similiter mugil videtur esse pro mugilis. Cervical, animal, vectigal ex cervicale, animale, vectigale orta esse pervulgatum est, quare vocalem, etiamsi mutari per terminationem liceret, propter quantitatem veteres integram servare debuerunt. Quantitate etiam o in v. sol est munita. Atque idem de v. sal sentio; a vocalis enim ceteras breves vocales latinas (et maxime e et i) pondere longe anteibat, ut non ita facile posset mutari; quo eius pondere etiam factum est, ut sal nominativo casu produceretur, cum e in fel et mel corripere.

At in vocc. exul, consul, praesul et in adverb. procul, simul et in obsoleto facul, quibuscum in superioribus iam exilium, consilium, praesilio, similis, facilis sunt comparata, vocalis u sine dubio finali literae E debetur. Qua in re tamen etiam accentus quaedam potentia potest agnosci; namque cum penultima acueretur, ultimae syllabae vocalis facilius poterat immutari et in graviolem sonum abire.

§. 14. In mediis vocabulis vocales e et o ante l impuram fere semper in u sunt conversae, inmutatae in paucissimis tantum vocibus permanserunt. Nam pulsus et pulsare, culsus (percussus) et culter, vulsus et vulnus et vultur, sepultus et sepulcrum, mulsus et promulsus, remulsus et promulsus (de quibus v. Fest. p. 123. 137 Lind. p. 224. 277 sqq. Müll. cum eius annot.), tum mulgeo (quocum mulceo coniunges), fulgeo, sulcus, catapulta, Compulteria (quod est oppidi Italici nomen) proprie e haberent pro u, si pristinam suam naturam servassent, et olim e habuerunt, quod non potest dubitari propter cognata pello (πέλω, πάλλω?) cello (percello), vello (έλλω), sepelio, meli (μέλι) remellere (v. Müll. in Fest. p. 402) ἀμέλω, φλέγω (flagro), έλλω (όλλός;) και απέλλω; Cupellernum (quod in numis quibusdam osce inscriptis legitur; v. Leps. inscr. Uembr. et Osc. p. 117 sq.). His aliquis voces culpa et ulcus adiciet, qui eas cum v. u. scelus, ut Benarys Lautl. p. 13. (aliter Pottius E. F. I. p. 257), et έλλος, ut Vossius in Etymol. et Passovius in lexico, al. cognatas esse duxerit; quae de re equidem dubitandum est.

Deinde in locam pristinae o, quae tamen ipsa interdum pro e extiterat, vocalem u in his videmus successisse: culmen (cf. columen), cultus (colo), stultus (stolidus), vultus (volo), adultus (adolesco), multus (sive id a molendo, quod Lünemannus in lexic. lat. posuit; equidem non probo, sive a radice ple repetetur, uti populus, πολός, al.), ulna (ώλένη; cf. vetus german. ēlinpogo); pulvis (cf. pollen, πάλη), puls et pulmentum (πολλός; nisi hoc potius e latino sermone in graecum migravit), ultra (quod a prisco pronome olu s venire Vossius in Etymol. et secundum eum Doederlinus in Synonymi vol. IV. p. 375, alii recte iudicaverunt); et quae sunt e graeca lingua ascita: bulbis (βολβός), imbulbito (βόλβιτον). Hinc etiam Culchis explicabitur, quod pro Colchis usurpatum esse Quintilianus (I, 4, 15) tradit.

Servata vocalis e ante l impuram non est nisi in adiect. celsus (excelsus) ea, ut

11) In duobus tantum vocabulis illa vocalis mutatio fortasse agnosceretur: amboltu (tab. Eug. Vlb. 52), quod cum veteri arpeltu (IIa. 19. IIb. 32. IV. 8) componendum videtur, et purtatulu (16, 18), quod speciem certe deminutivi habet. De hule et holtu, komoltu vel kumultu (est tamen semel etiam kumaltu scriptum) ne suspicari quidem quidquam possum. At ex altero genere sunt multa: ehveltu, ehvelku, felsva, pelmner, pelsans, veltu; apelus, apelust, entelust, kaselate, katel, purtifele, al.

videtur, de causa, ut etiam pronuntiatione illud a partic. culsus discerneretur¹²); tum in vv. helvus, helvella (apud Ciceronem, Festum et teste Nonio Marcello apud Titinium), pelvis, quibus hoc commune est, quod literae l levissima illa semivocalis v est subiecta. Quod idem cum sit in solvo, volvo, olvatum (quod ab olu, olus derivatum esse Müllerus in Fest. p. 203 satis probabiliter posuit), tum etiam in gilvus, milvina, milvus, silva: suspicari licebit literae l, ubi eam litera v subsequeretur, non ubique neque necessarie pinguissimum illum sonum fuisse, quo pronuntiaretur ante ceteras consonas, sed interdum etiam medium illum fuisse, quem vocali aliqua subsequente habere solebat; unde evenit, ut vocales literis lv subsequentibus saepe non ita immutarentur, ut ante lm, ln, ls, lt, lb, lp, lg, lc factum est. Saepe id ita fuisse dico, non semper, quod quaedam sunt vocabula, in quibus vocalis (e, i, a) etiam literis lv subiectis in u abiit; pulvis volo, de quo in superioribus dixi, et fulvus ac mulvius, de quibus posthac mentio fiet. Quare sic dicendum erit: ante literas lv aut clariores illas vocales sibi constitisse aut in o abisse, rarissime in u.

Praeterea etiam ubi v consona anteibat, vocalis o sequente l impura olim mansit, quod, ut saepius commemoravimus, u vocalis post v consonam molesta videbatur; eo demum tempore in his quoque vocabulis u proferebatur, quo tempore omnino v et u coniungebantur, h. e. post Ciceronis aevum. Sic est in vv. vulgus s. vulgus, volsella s. vulsella (a vellendo), Volsinii s. Vulsinii, Volturnus s. Vulturnus, volva s. vulva, al. Sola tamen o in usu mansit in nominibus Volsci, Voltinia, volta.

Non praemissa consona v vocalis o tamen ante l impuram in talibus tantum constitit, qualia haec sunt: soldus (ortum ex solidus), olfacio (quod est compositum ex olendo et faciendo), Colmontani, quod fortasse scribendi tantum compendio in titulo quodam (Orell. I n. 123) pro Collina montani est positum. Nam olca e scriptura apud Plinium (H. N. 37, 65) non certa est, et si certa esset, vox peregrina hoc loco non posset in censum venire (nam peregrina existimabitur, uti pleraequae gemmarum appellationes); deinde Colminianus interdum etiam Culminianus scribebatur; tum Solduriorum quoque nomen est peregre in Latium invectum; denique solstitium, solsequium et similia vocalem habent natura longam ideoque immobilem.

§. 15. Quod cum de vocalibus e et o haec fere constans sit regula, ut sequente l impura in u abeant, nisi aut antecedit litera v aut subsequatur aut litera l compositione vocabulorum vel contractione sit impura facta, in vocalibus a et i longe aliter res se habet. Nam a vocalis plerumque quidem in vocalibus simplicibus immota restitit ante l impuram, sicut est in vv. almus, scalmus, palma, alnus, balneum, caldus, valde, altus, alter, salto, falsus, alsus, albus, balbus, galbus, palpo, talpa, alvus, calvus, malva, salvus, calco, calx, algeo, valgus, al. Pauca sunt, quae pro prisca a iam u habeant: vulpes, quod graeco *ἄλωπιξ*, *ἄλωπιος* probatur (v. Jac. Grimm. Reinhart Fuchs p. XXIV.); fulvus, quod collato flavus patet; pulcer, quod cum placendo coniunctum recte statuitur; culmus, quod est ex calamo ortum; culcita, si Varro (de

12) Melto m, quod antiquitus pro melior dictum Paulus Diac. refert, fortasse oscum fuit; Felsina umbrici oppidi in Italia superiore siti fuit antiquum nomen; quare ea quidem hoc loco non sunt respicienda.

L. L. V, 167 Müll.) et post eum Festus (p. 38 Lind.) a calcando dictum esse recte iudicant. At fulgeo et mulceo non tantum vv. flagro et *μαλακός* habent, quibuscum comparentur, sed etiam *φλέγω* et *ἀμέλω*, quomobrem de iis supra iam est commemoratum.

Deinde in compositis quibusdam vocibus u eo loco est, in quo in simplicibus a habetur; cuius rei causam in accentus quadam deminutione ponendam esse antehac explicavimus. Sic insulsus (non sulsus, quod Benaryus Lautl. p. 144 vult) factum est ex in et salsus; inculco, conculco, proculco, al. a calcando sunt derivata, exulto, insulto, al. a saltando, quibus ex quorundam sententia etiam inculpo, exculpo adiiicientur, quod ea a scalpendi, non a sculpendi verbo sint orta (v. Voss. Etymol. in v. scalpo); rectius adulter adiungetur, cuius origo solet ab altero duci (v. Fest. p. 18 L.). In aliis compositis nihil est mutatum, praecipue in recentioribus; nam vetustiora omnia plures maioresque sui mutationes sunt passae, quam ea, quae florente linguae latinae et literarum latinarum aetate vel paulo ante vel etiam post eam sunt ficta. Vocalis a igitur tenetur in vv. circumsaltans (quod apud Prudentium legitur) et desaltatus (quod apud Suetonium), circumcalco, recalco et omnibus verbi calceare compositis, deinde in excalfacere, inaltatus, subsalsus, persalsus, exscalpo et circumscalpo, expalpo, subpalpo, bipalmis, depalmo, aliis multis.

§. 16. Denique i vocalis in stirpibus vocabulorum propter subiectam l impuram non facile videtur esse in u mutata, nec vero saepe id fieri potuit, quod omnino vocalis i in mediis vocabulis non admodum frequenter fuit duabus consonis praemissa. Hoc enim, qui latinarum vocum rationes diligenter considerat, multis argumentis facile intelligit, i vocalem in apertis syllabis (h. e. in iis, quae vocali clauduntur) esse frequentiore, e magis usurpari pro illa in syllabis consona aliqua clausis (cf. concipio conceptus, flamen flaminis, memini mentio, al. sexcenta; nam in pulvis et pulveris i et e sunt inverso modo adhibitae, quia i vocalis consonae s, e vocalis consonae r est aptissima). Quare non multa sunt vocabula latina, in quibus i brevis cum l impura coniuncta conspiciatur, et ea pleraque, si non omnia, levem illam v (de qua supra diximus) habent postl. Nam praeter gilvus, milvina, milvus (in quo tamen i videtur esse producta), Milvius, silva, nulla habeo huius generis nisi peregrina, qualia sunt silphium, miltus, e Graecia ascita, et Cilnius, etruscum nomen. Attamen unum etiam nomen extat, quod tum per i, tum per u scribitur, et u quidem propter sequentem l impuram videtur accepisse; nam pons Milvius etiam Mulvius, nullo, ut videtur, harum formarum discrimine habito, dicebatur nec video, quamquam alia de causa, quam qua modo dixi, u hic possit pro i substituta censi.

Aliquo iure, etsi non optimo, etiam in vocibus facultas, difficulter, similtas et similibus u vocalem propter subsequentes lt dixeris esse pro i usurpatam, quae fuerit in facilis, facilitas, similis, cet. Sed in his vocalem non ab initio sibi constitisse, i ante literam l propter syllabae sequentis similitudinem ortam esse in superioribus est expositum.

Hoc tamen etiam his exemplis confirmatur, vocalem u cum litera l impura facillime coisse et saepissime esse a Latinis coniunctam. Quod idem permultis vocabulis confirmatur, quae cum descendant a vocibus iis, in quibus propter l puram sequentem u obtineat, eandem u etiam l impura sequente tenuerunt; qualia haec sunt: virgultum (quod venit a

virgula), singultim (singuli), ficulus (ficula), populus (populus), occultus et occulto (occulo), cui ausculto comparabitur, consultus (consulo), petulus (cf. petulans) quaeque iisdem syllabis sunt terminata, hiulus, bubulus, subulus. De aliis non liquet, habeantne eandem vocalis u causam an non habeant; cuius generis non pauca sunt: bulga, fulcio, (in v. fringultio autem u est propter u consonam vocis fringuilla), indulgeo, mulco, mulcta, pulpa, pulpitem, pulvinus (nam Pottii de eo vocabulo sententia, E. F. I p. 264 exposita, mihi non probatur), Sulpicius, sulphur (nam quae variae de huius vocis etymo sententiae a viris doctissimis sunt propositae, earum nulladum plane placet; v. Voss. in Etymol.; Pott. E. F. II p. 326, 423; Benary. Lautl. p. 144; Hoefel. Zur Lautl. p. 411), Vulcanus (an is est a vellendo dictus, ut Vulturinus, Vulsinii?), vulgus. Sed licet de horum origine nondum possit iudicari, ea, quae volui, satis iam iis, quae exposui, confirmata esse spero.

in suis com-
tes maioresque sui mutabiles sunt passae, quam ea, quae hodie lingua latina et hie-
tam latinam acine vel paulo ante vel etiam post eam sunt dicta. Vocalis u digitus
tur in vt. circumstantibus (quod apud Prudentium legitur) et desinitur (quod apud
Suetonium), circumstantibus, recalcio et omnibus verbis calcare compositis, debet in
exaltare, inaltare, subaltare, persaltare, exaltare et circumstantibus,
exaltare, subaltare, persaltare, exaltare et circumstantibus.

§. 10. Denique i vocalis in stripius vocabulorum propter subtractionem i impura non
facile videtur esse in u mutata, nec vero saepe id fieri potuit, quod omnia vocalis i in
mediis vocalibus non admodum frequentiter sui habet consona praemissa. Hoc enim, qui
latinarum vocum rationes diligenter considerant, multis argumentis facile intelligit i vocem
in speis syllabis (h. e. in illis, quae vocali clauduntur) esse frequentiorem, e magis usu-
pari pro illa in syllabis consona aliqua clausis (et concipio concipias, clamae cla-
muis, memini mentio, al. sexcenta; nam in puris et puris i et e sunt inter-
so modo adhibita, quia i vocalis consona s, e vocalis consona r est apertissima). Quare
non nulla sunt vocabula latina, in quibus i praevia cum i impura contracta conspiciuntur, et
ea praeterea, si non omnia, levem illam v (de qua supra diximus) habent post. Nam pro-
ter gilyas, milvius, milvius (in quo tamen i videtur esse producta), Milvius, silvius,
nulla habet huius generis nisi peregrina, quibus sunt silvianus, milvius, e dicitur as-
cia, et Cilvius, etruscum nomen. Attamen nam eam remon exat, quod tam per i,
tam per u scribitur, et u quidem propter sequentem i impuram videtur accipias; nam pars
Milvius etiam Milvius, nullo, ut videtur, huius formam discimone habita, dicebatur
nec video, quoniam illa de causa, quam per modo dixi, a hic possit pro i substitutionem censeri.
Aliaque iure, etsi non optime, etiam in vocibus facilis, diffidenter, similitas
et similibus u vocalem propter subsequentes i dixeris esse pro i usurpata, quae iure
in facilis, facilis, similitas, etc. Sed in his vocem non ab initio sibi constitisse,
i ante litteram i propter syllabae sequentis similitudinem ortum esse in apertioribus est ex-
positum.

Hoc tamen etiam his exemplis confirmatur, vocalis u cum littera i impura facillime
coisse et sapientissime esse a Latina contractam. Quod idem terminis vocalibus continen-
tur, quae cum descendunt a vocalibus iis, in quibus propter i puram sequentem u obducit,
eandem u etiam i impura sequente tenentur; quibus haec sunt: virgulum (quod venit a